

1200 r

(3038)

FRIDERICI WILHELMI SOMMERI,
VRATISLAVIENSIS,
SERENISSIMO DUCI WÜRTENBERGICO-OLSNENSI
IN REGIMINE A CONSILIIS

REGNUM VANNIANUM

ANTIQUAM SILESIAM COMPLECTENS:
accedunt
EJUSDEM
LEMMATA HISTORICA
AD
DUCATUM
ET
URBEM VRATISLAVIENSEM
PERTINENTIA
OPTIMORUM AUTORUM MSTORUM ET DOCUMENTORUM
FIDE ADORNATA:
Et
STENI BREGENSIS
DESCRIPTIO SILESIÆ imprimis VRATISLAVIÆ
sub Initium SÆCULI XVI. confecta
nunc primum
ex MSto codice edita & notis quibusdam
instructa.

VRATISLAVIÆ,
APUD MICHAELEM HUBERTUM,
cIↃ IↃ ccxxii.

2894 A


CHARTA GEOGRAPHICA

REGNI VANNIANI.




Septentrio.
SCANDIAE PARS
Teu-
to-
ni
SINVS CIMBANVS
Albis fl.
Caesarius
Cimbricus Chers.
SAXONES
Marionis
Treva
Marionis
Aestii
Rugii
Lemovii
Rugium
Venedi
Angli
Eudoses
Suardones
Varini
Gravcs
Tropaeum Drusi
Reudigni
Aviones
Longobardi
Gothones
Chervsci
Teutoburgum
Semnones
Naharvali
Lucus
Arii
Lucus
Rivus Cattorū
Elysii
Melibocus Mons
Salinae
Albis fons
Marsigni
Mons Silensis S: Sabothus
Castella
Sudetes S: Dan
Montes Jalici
Bojo-
mum
Marcoboduum
Burii
Semana sylva
Gabreta Sylva
Vannii
Narisci
Manus
Luna sylva
Ferrum nera
Eburum
Eburodunū
Casurgis
Gothini
Carpates
Locus praelii
quo Vannius victus est
Danubius
Vindobona
Carnuntum
Uvavia
Cetius Mons
Fazyges Sarmatae
Carrodunum
Metonium
Tyras
Petrodava
Anartes
Germanum
Ulpianum
Fazyges Metanastae
Bregetio
Parolissum
Marcodava
PARS
Batavae castra
NORICI
PANNONIAE PARS
DACIAE PARS
COMPLECTENS SARMATIAE
VANNIANI REGNI ET VETERIS SILESIAE Amplitudo Fines et Gentes conterminae
En veram Numi rarissimi imaginem beneficio
ANTONINVS AVG PIVS
REX QVADIS DAT
Masoviae Mei Amplissimi Reip. Lips: Senat: cui ex Thesauro Regio Berol: Romanis. ac Celeberr: la Crosius concesserat
winckler sc.

28944 A



*

REGNUM VANNIANUM

LIBER SINGULARIS.

*

RAPOLDUS in HISTORIA MSTA de Illustrisimo Silesiæ Ducatu:

Neque SILESIOS se satis celebrasse arbitretur quisquam, qui antiquam QUADORUM LYGIORUMque Gentem præterierit.

*

D. T. O. M. F.

AD AMICUM LECTOREM PRAEFATIO.

CUm his diebus, quasi in Daciam antiquam proficiscens, Regni sub Decebalo amplissimi Monumenta lustrarem, non absque fato Ortelium in consilium adhibui, qui homini, Antiquitatum Patriarum amantissimo, in Daciæ Mœsiarumque Tabula triangularis intra Marisum Tibiscumque terræ ostentabat titulum: REGNUM VANNIANUM: de quo apud Plinium Tacitumque videre est. Mirabar Quadorum, Lygiorum, plurimarumque Germaniæ gentium per XX. annos Regem modicis & plane alienis Imperii finibus esse circumscriptum, imo fere Dacorum Potestati subjectum; cœpit inde investigandi Cupiditas, an verum REGNI VANNIANI situm Ortelius dederit, dumque ea volvo & revolvo en! MART. HANKII, rerum nostrarum Scriptoris ingenio & venustate optimi, accedit sententia, vehementer eos errare affirmantis, qui exi-

exiguis spatiis finitum Regnum crediderint, quod amplitudine magnum, divitiis abundans, in duo postea fuerit divisum: itaque operæ pretium esse putabam, VANNII REGIS res altius memoria repetere, regnumque, quam potens vastumque fuerit, curatius disserere, præsertim cum antiquam continuerit SILESIAM caram, qua mihi nihil carius, Patriam. Ast dum animum ad scribendum appuli, in id metus inciderat, fore ut quis institutum meum percipiat, me supervacaneum quid egisse credat, cum plures egregiosque Viros ante me extitisse sciat, qui hactenus satis in investigandis Gentis nostræ rebus patriæ fecerint, poteratque calamo silentium injungere ratio hæc, nisi cognitum perspectumque sit, absolutis hinc & inde Romanorum Antiquitatum Voluminibus evenisse, ut ætas nostra, quæ illis annectat, habuerit, numerumque nec exiguum nostrorum scirem, quibus omnis cura, opera mensque in id locata est, ut & ipsi bene de patria mereantur. Habes, AMICE LECTOR, quæ sollicitudini meæ subvenere causas, quæ alii prolixius affirmant, ego quo libro quibusque argumentis dixerint, summa ea fieri poterit brevitate, quæ tangunt saltem pro rei pretio curatius edam, præterea qui similes Mores Quados nostros Dacosque amicos junxerint, anti-

antiquam regionis noſtræ faciem reſtitutam, veros REGNI VANNIANI terminos, quædam antiquorum ſcriptorum loca illuſtrata, CONSPECTUMQUE SILESIÆ ANTE ET POST VANNIUM AD SLAVORUM USQUE ADVENTUM. An rem ex ſententia geſſerim, amicus non acerbus invidusve judex cognoſcat, contendam ab eo verecundius, ſi his ex paginis amorem, in patriam, in quo ſolum gloriabor, legat, neque autores adire recuſet, quorum fide ea, quæ REGNUM VANNIANUM deſcribunt, conſtant. Malim equidem ſupereſſe Plinii de Bellis Germanicis Commentarios ampliſſimos, quorum alter (a) Plinius (b) Tacitusque memoriam ſervant, Archiæque optimi Poëtæ de Rebus Cimbricis Carmen, quod diſſertus Orator (c) Tullius omni ſtudio exaratum eſſe confitetur, hauriri forte ex illis ceu fonte quodam poſſent, quæ amplitudinem conatui noſtro afferrent; ſed cum tantos nobis temporum injuria labores inviderit, B. L. rogamus, ut hoc Catone vel potius VANNII Regno quale dediſſe licuit ſit contentus.

NOTÆ.

(a) lib. III. epiſt. 5. ad Avunculum Macrum ſuum. (b) Annal. l. 69. (c) in orat. pro A. Licin. Archia Poëta. Cimbris vero cum expeditionem in Romanos ſuſciperent, per Svevorum Lygiorumque terras erat proficiſcendum.

DEO

DEO T. O. M. FAVENTE.

REGNI VANNIANI

CAPUT I.

ANTIQVAE SILESIAE FACIES.

§. 1.

SILESIA, cui vitam & ſanguinem debeo, antiquiſſimis temporibus a (a) LYGIIS & (b) QUADIS habitata, ab oriente VISTULAM, a meridie (c) CARPATUM, radices, ab occidente (d) SVEVUM amnem Terminos habuit, a ſeptentrione vero HERCYNIA SYLVA erat coarctata, quam in Daciam usque excurrere & Anartium fines ſtringere (e) Cæſar ſcribit.

NOTAE.

(a) Hos nitido Stylo & copioſis argumentis CELEB. HANKIUS de Sileſ. Majoribus cap. X. & XII. nobis aſſeruit, contrarium ſentit Schurzfleiſchius, dum Diſp. hiſtor. XIX. Jodocum Willichium, Lygios vocantem, quos Sileſios nominamus, non accurate cogitateque ſcripſiſſe opinatur: aſt cum optime HANKIUS continuum illud montium jugum, quo Tacitus Sveviam a Lygiis dirimit, Sudetas eſſe affirmaverit, ſatis applicatum arbitror, Gentem hanc in Sileſia inferiori eſſe locandam. (b) Qui ad Danubium imo ad Granuam usque amnem deſcendunt, hinc Tacitus terram hanc Germaniæ frontem dixit. Diſcrimen inter ipſos Lygiosque ſic

Rapol-

Rapoldus in Hiſt. MSta de Illuſtr. Sileſiæ Ducatu. Tametſi Lygiorum ſedes amplæ admodum fuerunt, Quadorum tamen Imperium multo fuit majus. (c) Hi longo tractu Daciam a Sarmatia Europæa diſcernunt, & apud tardum Ovidii Tyram deficiunt. Alpes quoque Baſtarnicæ nonnullis ſunt. Rapoldus l. c. Montes, quibus Moravia a Sileſia ſeparatur, non temere affirmaverim veteribus Gabretam ſylvam eſſe dictos: (additum eſt in margine: das Geſenke.) (d) diverſum a Viadro flumen eſſe Luſatiam interfluens, Sprevam hodie Hankius noſter l. c. cap. VIII. commonſtrat. Rapoldus l. c. Svevum fluvium diu poſtea & hac quoque ætate noſtra Spronam dixerunt. Deſcendit in eandem ſententiam Althammerus in Taciti Germ. p. 442. Svevus Luſatiam mediam percurrit, accolæ Sprevum appellant. (e) Vl. 24. Comment.

§. 2. (a) Marcomanni, valida natio, Bohemiæ partem, Moraviam integram, tenentes QUADIS verſus auſtrum a ſiniſtro, (b) Daci, ferociſſima gens, non telis magis, quam ſuo cœlo ſuoque ſydere armata, a dextro latere erant vicini, Danubius omnes ab Imperio Romano dividebat, ſed frequens eum transeundi libido, hinc (c) commune inter ipſos Romanum ſolum vaſtandi fœdus, ingentia bella quaſi rapidiſſimo flumine in Italiam transportata, Romanorum terror, omina & clades, QUADORUM Victoriæ, fama & in patriam relata ſpolia.

NOTAE.

(a) Cumulatius de ipſis egit Hankius l. c. cap. VIII. XIV. & XVI. Cum Jazygibus περὶ τὸν Ἴστρον degere Dio Caſſ. in Marco, & Arrianus cum QUADIS extremas Celticarum & bellicoſiſſimas nationes eſſe p. m. 3. Edit. apud Henr. Stephanum tradit. Rapoldus lib. c. Quicquid a Marcomannis laude & gloria dignum geſtum eſt,

eſt, illorum quoque omnium partem certe magnam Quadi ſibi merito vendicant. (b) quibus Jazyges Metanaſtas optimorum Autorum fide jungimus, fertiliſſimam regionem inter Tibiſcum Granuamque poſſidentes. (c) ne tot gentium concordiam virtus Romana ſuperaret, hinc Domitianus poſcens à Quadis & Marcomannis contra Dacos auxilia nulla accepit Dione Caſſio teſte, p. m. 761. Edit. Wechelian.

§. 3. Fertilis terra temperato ſubjacebat Cœlo, (a) ſalubrior aër duriora & in impetum valida parabat Corpora, rara planicies, denſiſſimi ſaltus, perennes (b) rivi, imo potentiores fluvii, quorum (c) Albis ex Sudetibus ortus in Bojohæmum vergit, Viader vero ſylveſtribus ripis cinctus mediam Regionem tranſit, hinc Venatus maximus Viris labor, nec pretioſarum veſtium ſed pellium uſus, inconditum patrio more carmen canere, ſub dio inter arborum umbras ſomnum capere, inque conviviis de pace & bello conſultare gratum, conlucare, libidinem vagam exercere, fidem quam colendo jurant frangere, tecto hominem arcere, nefas, Regibus parebant, hinc (d) nobile Marobodui Tudrique Genus, cibi ſimplices, nec vini in ipſos vis, hinc ætas morbique rariores, mortuos (e) cremabant, addita ſupellectile, imo (f) numis, quos ceu prædam Romanis demtam has in oras transportarunt.

NOTÆ.

(a) Rapoldus l. c. Sileſia aëris puritate & clementia multis regnis eſt felicior, in qua populum contagioſis peſtilentibusque morbis

rarius contingit infestari. (b) quorum nobilissimus, quem Cattorum nunc etiam dicunt, germanico Idiomate Cattsbach: quod in intestino illo Hermundurorum (qui ad Sudetes usque & Albis fontes habitabant) cum Cattis bello, quod Tacit. Annal. XIII. in fine illis prosperum, his exitiosum fuisse tradit, ob stragem quandam Cattorum hic editam nomen ortum existimo, cum victores diversam aciem Marti ac Mercurio sacravere, quo voto equi, Viri, cuncta victa occidioni dantur. (c) Dio Cass. p. m. 548. hæc de fluminis ortu & amplitudine: ῥεῖ δὲ ἐκ τῶν ὀυανδαλικῶν ὀρῶν, καὶ ἐς τὸν Ὠκεανὸν τὸν προσάρκτιον πολλῷ μεγέθει ἐκδίδοσιν: ubi Montes Vandalicos appellari, qui nobis Sudetes sunt, observes. (d) ita Tacitus de Mor. Germ. qui addit: raro armis nostris, sæpius pecunia juvantur. (e) Hinc Urnis Silesia abundat, de quibus optime clariss. Hermannus Maslens. Pastor meruit, qui singulari libro curatius de illis disserit. (f) inter elegantiores, quos Maslæ invenire licuit, aureum Aureliani, argenteos Jul. Cæsaris, Divæ Faustinæ & L. Veri, æneumque M. Valer. Corvini referas, de quibus in Maslographia cap. 14. lib. III. His post editum librum hunc accessere: Tres Antonini, unus Commodi, & Faustinæ alius: Nec desunt cæteris tumulis numi, uti ex illis in pago Ransem, uno ab Urbe nostra lapide, repertis egregium Hadriani vidi, cujus una facies caput Imp. laureatum habet, additis litteris: IMP. CÆSAR TRAIAN. HADRIAN. AUG. altera æternitatem stantem, dextra solis, sinistra lunæ caput portantem, litt. circumscriptis. P. M. TR. P. COS. II. adscriptis: ÆTER. AUG.

§. 4. LYGIOS Svevorum (a) sermone, cultu, institutis & moribus usos arbitror, cum NAHARVALOS eorum partem Svevorum orientalium portionem fuisse (b) Schurzfleischius quoque confiteatur: QVADI linguam & (c) arma à Sarmatis acceperant, cum quibus vicinitas & talis usus erat, ut Tributum, (d) quod OSIS tanquam alienigenis imponerent, inter se partirentur: tandem urbis Gen-

Gentium dominæ ritus & linguam ad Gentes nostras MAROBODUUS ex Italia (in qua Augusto familiaris annos aliquot consumserat) redux traduxit, quam exules ipsius & CATUALDÆ in fuga comites, REGNO vero VANNIANO a Tiberio redditi latius explicarunt.

NOTÆ.

(a) Cujus nulla monumenta extant, cum Svevos a pueris nulla disciplina assuefactos fuisse IV. 1. de Bell. Gall. Cæsar tradat. Duas quidem jam Urnas Masla exposuit, quarum una aliquoties notam hanc Ϟ Germanorum litteram Ϟ mira similitudine exscribentem ostentat, ast num litteram, num figuram asseram, dubius hæreo, donec benigniora fata integram Urnam pluribus his & diversis Notis insignem dabunt. (b) Diss. histor. LIII. de Templ. Antiq. §. 3. in notis. (c) Am. Marcell. XVII. 12. Edit. mihi Valesianæ: Sarmatæ & Quadi vicinitate & similitudine morum armaturæque concordes. Sunt illis hastæ longiores, loricæ ex cornibus rasis & levigatis, plumarum specie linteis indumentis innexæ, equorumque plurimi ex usu castrati. addit Tacit. I. Histor. cuique nobilissimo & principibus tegmen esse ferreis lamis aut præduro corio consertum adversus ictus impenetrabile, sed impetu hostium provolutis inhabile ad resurgendum. (d) Tacitus de Mor. Germ.

§. 5. LYGIORUM nomen in plurimas olim Civitates diffusum Tacitus autor est, quarum vero vestigia indicare vix licet: (a) NAHARUALOS tamen Patriæ nostræ à Septentrione Hercynii saltus accolas jungamus, cum Semnonibus vicinam Gentem fuisse (b) satis constet. Erat apud eos antiquæ Religionis lucus, in quo nulla quidem

ſimulacra, nullum ſuperſtitionis peregrinæ veſtigium, juvenum tamen fratrum numen colebatur, cujus (c) ALCIS nomen, (d) Sacerdos muliebri ornatu præſidebat, Romani Caſtorem Pollucemque eſſe arbitrabantur.

NOTÆ.

(a) Imo & Elyſios Taciti, Lygiorum Partem, add. Mart. Hankium c. XI. §. 10. ſeqq. de Sileſ. Major. Naharvalis eam adſcribas regionem, ubi nunc Haina, Boleslavia, Waldavia: quarum media ob luci veteris famam & veſtigia inclyta eſt. (b) ita Schurzfleiſch. l. c. ubi tamen Saxonum finitimos eſſe credit, verum Ptolemæo teſte ἐπὶ τὸν ἀυχένα τῆς κιμβρικῆς χερσονήσου σάξονες: quod ego Cimbricæ Cherſoneſi Collum ad Albis oſtium eſſe opinor. Melius Jodoc. Willichius eos ad Sarmatiam porrectos fuiſſe docet cap. XVI. in Tac. Germ. (c) Tot de numine ALCIS, quot de patria Homeri ſententiæ, quamquam plures id ſilentio prætereant, veluti Lipſius, Rhenanus, Schedius, Rapoldus, Lexicon Hoffmanni, aliique. Curæus ac Schikfuſius Numen hoc Moſen ac Aaronem eſſe autumant, cum Hebræorum mores noſtris non fuerint ignoti. Ab ἀλκὴ Robur, auxilium, derivatam vocem fuiſſe Jodoc. Willichius credit. Chriſt. Wagemannus im Entwurff vom Druidenſuſſ nomen putat ſonare ac alls iſt, omnium Rerum Subſtantiam. Tragil. Amkiel in Cimbr. Heyden Religion l. cap. 16. ex Edda tradit, Genios apud Cimbros cultos dictos fuiſſe Alffer, ac Helffer, adjutores, unde Taciti Alcis. Forte Numen iſtud dæmonem montanum denotat, cui ALP & ALF apud veteres nomen fuiſſe in Antiquitat. Celtic. & Septentr. Eruditiſſ. Keyslerus p. 500. commonſtrat. Hinc cum duos Naharvali coluerint, apparet ſane ſi in pluralem Numerum formes ALFFIS, ſacra hæc celebrata fuiſſe, unde ALCIS originem ducere videtur, & ſuperſtitionis in Sileſia ſuperſunt Veſtigia der Alp, das Alpdrucken. Sic & in Brunſvicenſi ac Hannoverano tractu die Velde, & in regione Erfurtenſi ſpectrum Frau Holde à Valleda Taciti nomen habent. (d) Forte Sacerdos virgo erat fatidica, quales apud Celtas Aurinia ſ. Alruna, Velleda & Ganna, de quibus Dio Caſſius & Tacitus. adde Althammer. Comment. in Tacit. German. p. 181.

CAPUT II.
SILESIÆ RES ANTE VANNIUM.

§. 1.

Μέγα δέος (a) Κελτῶν ἐς ὅλην τὴν Ιταλίαν ἐνέβαλλε, cum (b) Cimbrorum Theutonorumque turbo effractis Alpium clauſtris, & Silano, (c) Mallio, Cæpioneque proſtratis, Urbis capiundæ oſtentaret fiduciam, niſi (d) Marius illi ſæculo contigiſſet. Surgente poſtea Thracio bello Appius Claud. Pulcher Cos. in (e) Sarmatas usque pervenerat, an vero in QVADORUM terram illis vicinam penetraverit dubium eſt, forte montium juga, uti Curio tenebras ſaltuum in Dacia expavit, neque magno illo Conatu aliud quid à Romanis effectum eſſe conſtat, quam ut in Thracum captivos quosdam igne ferroque ſævirent, totum vero Catonis exercitum per Scordiſcos amiſerint.

NOTÆ.

(a) Apud quos Iſtrum oriri Arrianus lib. I. Autor eſt, & Celtarum bellicoſiſſimas, ſed extremas ad fluvium, nationes eſſe *Quados* & *Marcomannos*. Dio quoque Caſſ. XXXIX. populos, ex utraque Rheni parte habitantes, antiquitus uno nomine Celtas fuiſſe appellatos teſtatur. (b) Optarem hic adeſſe Archiæ de Rebus Cimbricis Carmen, de quo in Præfat. interea L. B. egregiam Cellarii de Cimbris & Theutonis Diſſertationem evolvat, quæ migrationem hanc optime ſiſtit. ibi §. 10. Germaniam, quæ circa Albim &

Danubium eſt oportet tranſiiſſe, antequam in Noricum venirent, adque fines Illyricorum. Affirmat Plutarchus, ſermonem fuiſſe Exercitum illum collectum eſſe inde à Palude Mœotide ad Rhenum usque. Addit Curæus in Annalibus Sileſiæ p. 19. Ergo & noſtri homines fuerunt immixti. Prodibant ex Cherſoneſo Cimbrica, quibus Taciti tempeſtate parva Civitas, ſed gloria ingens, veterisque famæ late manentia Veſtigia. (c) ita rectius, quam Manlium ſcribi Daceria in Floro monuit. (d) extat vetus Inſcriptio victoriæ tantæ Monumentum:

C. MARIUS C. F. - - - - - - III. CONSUL ABSENS CREATUS EST. IIII. CONSVL TEUTONORUM EXERCITUM DELEVIT. V. CONSUL CIMBROS FUGAVIT. EX IEIS ET TEUTONEIS ITERUM TRIUMPHAVIT. - - - - - - DE MANUBUS CIMBRICEIS ET TEVTONICEIS ÆDEM HONORI ET VIRTUTI VICTOR FECIT.

(e) Numus vero, cujus ex altera parte: VICTORIA CIMBRICA: Inſcriptio, fictus eſt Patino teſte. Ita Flor. III. 4. qui dum Thracium bellum ſcripſit, plurima alia tunc geſta adjungit.

§. 2. Ingentes demum, imo in ultimas Orbis Gentes, expeditiones C. IUL. CÆSARI ſervatas fuiſſe eventus docuit, qui contra Arioviſtum, regem atque amicum à ſenatu appellatum, bellum decrevit, quod Æduis aliisque Gallorum populis, inter quos & Romanos arctius interceſſerat fœdus, frequentes injurias inferret: proficiſcenti ad pugnam Arioviſto (a) MARCOMANNI quoque & (b) SVEVI aderant, ob cujus exercitus adventum tantus timor caſtra Romanorum pervolabat, ut fere ubique teſtamenta obſignarentur, nec lacrymas cohibere potuiſſent, commune periculum

lum cogitantes milites, ſed facto impetu Germani in fugam conjecti ingentem ſtragem patiebantur, ita ut rex ipſe, navicula Rhenum ſuperans, ægre ſe ad ſuos receperit.

NOTÆ.

(a) Qui ea tempeſtate nondum Bojohæmum occupaverant, quod demum an. XIV. P. C. N. factum eſt. (b) quo communi fere ea tempeſtate Germanicarum Gentium nomine LYGIOS quoque & QUADOS comprehendi nemo facile negaverit; nugis vero delectantur, qui Cæſarem tum ad Lubam usque Sileſiæ (locum, quem Leubuſenſe Monaſterium nobilitat) progreſſum, Martique fanum extruxiſſe narrant: vid. Tom. II. Sileſiogr. renov. p. 650.

§. 3. Aſt ne Roma Gentium domina arma poneret, orbe terrarum ingentibus victoriis emenſo in ſuam (a) libertatem manus vertit, cum divinitus conſtitutum eſſet, ut in unius poteſtatem tantum Imperium perveniret. Hinc Bella per Emathios plus quam civilia campos jusque datum ſceleri: Pompejus ipſe à Cæſare victus fuga non ſalutem ſed Interitum invenit, huic vero contra illum Galli (b) GERMANIque opem ferebant.

NOTÆ.

(a) Quam cum expellerent Romani, Germanum Scythicumque bonum lib. VII. Lucanus dixit. (b) Flor. IV. 2. qui GERMANIS victoriam acceptam refert: adde Freinshemium in notis, qui Germanorum famam à Floro aſſertam egregie contra Lipſium defendit.

§. 4. (a) TUDRUS (uti colligere licet) ea tempeſtate

peſtate QVADIS Germanorum fortiſſimæ Genti REX erat ipſe QVADUS, nobilis ac potens, cujus Progenies ad (b) Taciti usque Memoriam manſit QVADIS LYGIUSQUE Reges ferens, ſed quid geſſerit, nullis litterarum (c) Monumentis traditum eſt, provectam tamen QVADORUM potentiam Gothini ac Oſi (d) Tributa patientes loquuntur.

NOTÆ.

(a) Trudus quoque legitur, forte Trudis, acceptus, gratus, uti ex Gertrudis nomine apparet. add. Althamm. in Tac. Germ. p. 478. (b) ſic de Mor. Germ. vid. Hankius l. c. cap. 15. (c) repetamus Horatii illud: Vixere fortes ante Agamemnona multi, ſed omnes illacrymabiles urgentur, ignotique longa nocte, carent quia Vate ſacro. (d) ita Tac. l. c. Gothinos Gallica, Oſos Pannonica lingua coarguit non eſſe Germanos, & quod tributa patiuntur: partem tributorum Sarmatæ, partem QVADI ut alienigenis imponunt: Gothini quo magis pudeat, & ferrum effodiunt. Ubi vero inveniendi ſint, quæ præcedunt, uti mihi videtur, ad oculum commonſtrant: Terga nempe Marcomannorum QVADORVMQVE claudunt & retro degunt: hinc ad Carpathes ſupra QVADOS (ubi ferri mineras extitiſſe Ptolemæus Autor eſt) Gothinos (aliis à Gothonibus, qui trans Lygios regnantur, quod non obſervavit Rapoldus) porro Oſos, inde Marſignos; Burios vero ad Viſtulæ fontes locamus, uti in Tabula, quæ REGNUM Vannianum exhibet, videre eſt: Hos enim ea loca habitaſſe, quæ jam Teſſinenſis Ducatus habet, ad Viſtulæ caput Althammerus quoque confitetur, imo ex Dione Caſſio in Trajano (pag Edit. mihi Wechel. 772.) apparet, a Dacia non admodum fuiſſe disjunctos.

§. 5. Illuſtrior (a) MAROBODUI laus eſt, qui collecta cum Romæ juvenis, degeret, AUGUSTI Gratia, re-

redux, corpore animoque conſpicuus, vim regiam complectebatur, & Marcomannis, Lygiis, QUADIS (b) aliisque finitimis, quos vel bello domuit, vel conditionibus ſui juris fecit, felici eventu imperabat, donec, quod nimiam cum Romanis amicitiam colere, patriamque prodere videretur, ſuis inviſus, (c) Arminium, libertatis Germanicæ defenſorem, hoſtem haberet, cum quo acerrimo prœlio pugnans victus receſſit, & ut fracto usque in exitium inſiſteretur, CATUALDA dubiis rebus ejus ultionem auſus occupat regiam, Regni proceres auro corrumpit, eoque deſertum adexit, ut in Italiam ſpe auxiliorum, a TIBERIO obtinendorum, vocatus venerit, ibique (d) conſederit, Ravennæ demum poſt XVIII. exilii annos placidum fatum expertus.

NOTÆ.

(a) Hujus res geſtas prolixe cumulateque CELEBERR. HANKIUS edidit l. c. cap. 16. a. §. 8--25. Nomen Germanis ſonat Marbod ſ. Meerboth, & ante V. Sæcula adhuc in Sileſia non erat ignotum. In Privilegio enim, quod Boleslaus Calvus, Dux Lignicenſis, Sibotheni de nobili familia ovium (quæ jam CELSISSIMA SCHAFFGOTSCHIANA audit) ſuper arcem Kemniz an. 1243. conceſſit, teſtis aderat Dn. Meerbotho de Czeteros in Vriburg, Ducis Boleslai armiger. Anno quoque 1418. cum furibunda plebs. Julio Menſe Wratislaviæ curiam occuparet, diemque nefaſtum efficeret, inter Senatores, qui fuga ſibi conſuluerant, unus Meerboth appellatur. (b) Longobardos, ſermone cultuque Svevos referentes, imo Semnones Tacitus ipſe ejus addit Imperio. Militem conſcripſerat copioſum LXXM. peditum, IV. equitum

Vellej. Paterc. II. 109. teſte, qui vitam ejus laudesque promeritas habet. Cum Romanos ad Rhenum ſibi vicinos eſſe ægre ferret, avocatam ab iis gentem in Bojohæmum traduxit, Bojisque pulſis urbem Boviasmum in Maroboduum mutavit, & regnum in timendum quoque Romano Imperio faſtigium perduxit. Videtur operæ pretium locum Vellej. Patercul. dare, quo ſitum finesque tanti Imperii optime explicari arbitror: Sic vero ille: Eratque (Maroboduus) etiam eo timendus, quod cum Germaniam ad lævam & in fronte, Pannoniam ad dextram, a tergo ſedium ſuarum haberet Noricos, tanquam in omnes ſemper venturus ab omnibus timebatur. Ita Germaniam Pannoniamque disjungi puto, aliter paulo ab aliis legitur: quod cum Germaniam ad lævam, & in fronte Pannoniam ad dextram, &c. (c) Prælium Tacitus pulcerrime Annal. II. 46. (d) idem Annal. II. 68. Non exceſſit Italia per duodeviginti annos, conſenuitque, multum imminuta claritate nominis, ob nimiam vivendi cupidinem, obiit LXXI. annorum.

§. 6. (a) CATUALDAM, ex (b) Gothonum gente juvenem nobilem & audacem, Regem ſucceſſorem habuit, ejus (c) olim vi preſſum, ſed & huic Druſi (à quo excitatus erat) favor parabat exilium. Anno enim vix elapſo, ne libertati ſuorum inſidias ſtrueret, Rex extraneus à QUADIS (d) pulſus, impetratæ dignitatis famam fugæ turpitudine rependit.

NOTÆ.

(a) Cattenwald vel Gothenwald dictus, de quo Hankius l. c. §. 26. & ſeqq. (b) Tacit. Trans Lygios Gothones regnantur. Ultra Viſtulam eos rejecit Ortelius, verum locum dedit iis Cellarius, & errare Cluverium, Gothones hos Gothos eſſe, Imperium Romanum in Occidente exſtirpantes, quis non videt, cum finitam inter Rugios Lygiosque regionem Tacitus loquatur, non illam gentium

tium vaginam Scandinaviam, ubi Gothorum nomen in Titulis potentiſſimorum Daniæ Sveciæque Regum, imo inter provincias Svecorum ſupereſt. (c) Aſſiduis enim adverſus finitimos bellis ſuos exercuiſſe Maroboduum Vellej. Paterc. l. c. autor eſt. (d) Tacit. Annal. II. 63. Idem Catualdæ caſus neque aliud perfugium, pulſus haud multo poſt Hermundurorum opibus & Vibilio Duce, receptusque forum Julium Narbonenſis Galliæ coloniam mittitur.

CAPUT III.

VANNIUS REX.

§. I.

His Sileſia ante VANNIUM Regem fatis agitata eſt, poſcit inſtituti ratio, ut, qua auctoritate fortunave in ſuſtinendo Imperio uſus ipſe fuerit, evolvamus. Acto itaque in exilium CATUALDA, ex Gothonum Gente, Quadorum Lygiorumque exigui temporis Rege, populis noſtris & Svevis (a) VANNIUS Rex Quadus ortu à (b) Druſo Cæſare impoſitus eſt, qui redire juſſos, Marobodui Catualdæque in fuga comites, amicus in regnum ſuum recepit, illi amplitudinem, ſibi popularium amorem acquirebat, caſtella condebat, exercitus probe ornabat, multoque locorum intervallo disjunctas gentes utili fœdere commiſcebat.

NOTÆ.

(a) De quo HANKIUS de Sileſ. major. cap. XVI. §. 29--35. (b) Tac. Annal. XII. 29. ubi Vannii fata exponit. Extat de Druſo hoc, LiviæAuguſtæ (quam prægnantem Tiberio Claudio Neroni Quæſtori in bello civili Antonium ſecuto Octavianus rapuerat) filio

cognom. Germanico Horatii od. 4. IV. elegantiſſ. qua ejus de Rhœtis & Vindelicis victoriam celebrat. add. Senecam cap. 3. Conſolat. ad Marciam.

§. 2. Bonis initiis orſus triſtes Regni exitus habuit VANNIUS, dum, quod vicinarum gentium agros percurſandi licentiam caſtellis frenaret, commune illarum odium, ſuorum, quod (a) vectigalia ad parandas vires neceſſaria (more forte Romano) exigeret, incurrit, nec domeſticæ deerant inſidiæ, cum ob diuturnitatem Imperii nepotum invidiam meruiſſet, quibus demum Tacito confitente circumventus, itaque non ſua culpa finibus ejectus eſt.

NOTÆ.

(a) Ita enim Tacit. Annal. XII. l. c. Regnum per XXX. annos prædationibus & vectigalibus auxerat. Forte Marobodui Catualdæque memor, ne idem ſibi fatum eveniret, opes, quantas maximas poterat, colligebat; has enim potentia, potentiam ſubditorum vicinarumque gentium metus ſequitur, quanquam aberrent principes, qui non amoris excubiis cingi malint.

§. 3. VANGIO ac SIDO ſorore geniti aderant, juvenes, hinc ad arma proni, & imperandi, quam obſequendi promtiores. Hi populi gratiam blanditiis aucupabantur, ad jugum excutiendum invitabant, & cum Hermundurorum Rex (a) Vibilius hanc audaciam aleret, auctorque eludendi VANNIO regnum exiſteret, undique animi alienati, novi motus, belli civilis præſagia.

NOTÆ.

NOTÆ.

(a) Jubel aut Gabel dictus, quod nomen etiamnum pro proprio Cimbris ſupereſt.

§. 4. VANNIUS, cui hoc acerbitatis acciderat, quanquam locorum opportunitates, montiumque fauces ſuum crederet præſidium, peditibusque inſtructus eſſet, & à Jazygibus (a) equites conduceret, ſubditos tamen repugnantes, niſi re ad (b) Claudium delata, opprimere noluit, ſatius ex animi magnitudine ſuos componendos, quam infringendos eſſe ratus, ſed gratum nuncium de barbaris, mutua manu ſuperandis, accepit, nulla ſubſidia reddidit Imperator, ſpem tamen, ſi pelleretur, tutum illi fore apud Romanos perfugium.

NOTÆ.

(a) Quadi equitatu non valebant, in ingenti enim Marobodui exercitu non niſi 1VM. equitum aderant, forte & hi non Quadi, ſed Jazyges Metanaſtæ, equitandi & jaculandi ſtudio inclyti, Sarmatarum Jazygum ſoboles. (b) imo Claudius ſæpe oratus arma certantibus barbaris non interpoſuit: Tac. l. c. teſte.

§. 5. Itaque caſtellis (a) Jazygum ope firmatis, cum ob regni locupletiſſimi jamque diripiendi famam undique hoſtes confluerent, impar eorum numero VANNIUS ita bellum ducere ſecum conſtituerat: P. vero (b) Atellius Hiſter, Præſes Pannoniæ, Legione ſua, collectisque ex omni Provincia auxiliis, ripam Danubii noſtræ adverſam occupabat, qua fortuna gentes contra Regem ſuum

pugnarent visurus, victis subsidio, victori terrori, ne Romanos agros ingrederetur.

NOTÆ.

(a) Forte, quod equites castellis tutandis daret, erravit VANNIUS. nam Jazyges moræ impatientes, prœlio, quam Præsidio gerendo, erant aptiores; necessitate tamen id adactus fecit, fidei alienæ gentis plus, quam suæ jam resistentis, committens, ut acie victus castellorum tamen haberet potestatem, quanquam non ex sententia cesserit consilium. (b) Tac. l. c. scripsit (Imperator) P. Atellio Histro, qui Pannoniæ præsidebat, Legionem, ipsaque è Provincia auxilia, pro ripa componeret, subsidio victis, & Terrori adversus victores, ne fortuna, elati nostram quoque pacem turbarent. Vellej. Paterc. jam sub Tiberio desiit. Svetonius nihil de bello Quadorum civili sub Claudio, corporis vero custodiam Germanis Thracibus præfectis datam in Cajo refert.

§. 6. Virilis Ingenii VANNIUS, ubi eo deventum esse cognovit, quod Jazygum præsidia, quæ magna & firma paraverat, haud obsidionem sustinerent, sed desertis castellis in (a) proximos campos effusi, Lygios Hermundurosque ingruentes lacesserent, ne peditibus captis, reliquisque per agros sparsis, & in fugam conjectis, Rex subditorum potestati cederet, dimicandum esse ratus, locum prœlii opportunum eligit, non planiciem, sed angustias montium, ne (b) multitudine circumfusus furorem potius, quam virtutem hostium, experiretur.

NOTÆ.

(a) More gentium harum agros ripasque percursandi, unde & Nomades & Hamaxobii audiunt. (b) Varianæ forte cladis memor, cujus exercitum undique circumfusum, non ordinata acie victum, sed fugientium ferarum instar trucidatum noverat.

§. 7. Vix

§. 7. Vix multum (a) viæ processerat, cum sequentium turmæ imminerent, quarum aspectu non perculsus (b) pugnam fortis inchoabat, suisque virtutis exemplum, licet in conflictu vulneratus, rem egregie gessit, donec exercitu fatigato, hostiumque supervenientium numero territus, victus recedere cogeretur, ubi ad (c) classem, in Danubio opperientem profugiens, ab Atellio Histro benigne exceptus, inque Pannoniæ agris cum secutis clientibus locatus est.

NOTÆ.

(a) Ad Carpathum itaque radices prœlium gestum. (b) quam ex Tacito descriptam egregie l. c. Hanckius noster exposuit. (c) quam forte navium quarundam numerum ea tempestate in Danubio classem Tacitus dixit, ætas nostra probe ornatam armatamque vidit, cum CAROLUS VI. P. F. A. P. P. Turcarum & Orientis terror, faustissimas illas ad eripiendam barbarorum faucibus Pannoniam expeditiones susciperet.

§. 8. Itaque Rex suorum perfidia Regno, cui per XXX annos præfuerat, ejectus est, Romanis, quibus in hoste quoque virtus laudanda, gratus hospes, quod bene (a) præparato pectore rerum adversarum toleraret impetum, ducisque & militis in acerrimo prœlio subiret officium.

Manent quidem sua imperantibus fata, &

(b) Omne sub regno graviore regnum est;

merebantur tamen juvenum ferocissimi, quibus nec sanguinis nec patriæ cura supererat, ut idem illis vates occinat: Quis

Quis vos exagitat furor,
Alternis dare ſanguinem,
Et ſceptrum ſcelere aggredi?
Neſcitis, cupidi arcium,
Regnum quo jaceat loco?

NOTÆ.

(a) Tacitus l. c. laudatus, quod & pugnam manu capeſſiit, & corpore adverſo vulnera excepit. (b) Seneca in Thyeſte.

Caput IV.

REGNI VANNIANI AMPLITUDO, VIRES, ET TERMINI.

§. 1.

VANNIUM Regem, genere, fama atque copiis potentem, tandem ſuis finibus ejectum, fortunæ, quam verſabilis ſit, documentum vidimus; jam regnum ejus tabula Geographica, quæ paginas has præcedit, deſcriptum luſtrare operæ erit pretium. Anguſtiſſimis illud terminis incluſit Ortelius, qui forte, quod victum & in Pannoniæ agris locatum Regem Tacitus affirmet, in Præfatione Daciæ & Mœſiarum hæc tradidit: VANNIANUM quoque REGNUM, de quo Tacitus & Plinius in hoc tractu videre eſt. Exhibuit illud à (a) Mariſio Daciæ fl. cui (b) Zeugma adjacet, triangularem terram occupans, ad Tibiſcum usque, cui (d) Chuſum jungit.

NOTÆ.

NOTÆ.

(a) Μαρίσος Strab. VIII. qui per varios ſinus ex montibus deſcendens Tibiſco ſe inſinuat, hodie Marocz. (b) Urbs voce pontem notans, uti Syriæ Zeugma Euphratis tranſitum. (c) qui potens quos attrahit fluviis ad Sirmium Danubio miſcetur, hodie Theyſſ. (d) alias Chruſum, & Chryſan, ex græco χρύσιος, hodie Keeres.

§. 2. Sed ampliorem gentium noſtrarum robur patriam poſcit, imo vires cogitandæ ſunt, quæ duobus inde regibus ſatis erant: Itaque non tum Rex appellari cœpit VANNIUS, qui per tantum temporis decurſum regnaverat, nec regnum fugiens condidit, qui ſecuritatem apud Romanos invenit, & in (a) Pannoniæ non Daciæ agris locatus eſt, ut ex Tacito conſtat quod vero de ſpatio inter Marum Cuſumque idem autor, illudque (b) Quados occupaſſe ſcribat, non de univerſa Quadorum Lygiorumque gente, ſed de redeuntibus ex Italia Maroboduo Catualdæque in fuga comitibus, & de primo, quo ad regni gubernacula acceſſerat VANNIUS, anno intelligendum eſt.

NOTÆ.

(a) Tac. Annal. XII. Secuti mox clientes, & acceptis agris in Pannonia locati ſunt. (b) Idem Annal. II. 63. Barbari utrumque (exules nempe Maroboduum & Catualdam) comitati, Danubium ultra flumina inter Marum & Cuſum locantur, dato Rege VANNIO, gentis Quadorum. (Sic regium faſtigium apud gentem Quadorum jam conſcenderat VANNIUS, cum redirent populares, neque cum iis ipſe rediit, à Druſo, qui tum in Germania militabat, Suevis impoſitus.)

§. 3. Reſtituta temporum ſerie, qua male ordinata primus de Regno VANNIANO error naſci-

tur, jam qui Marus Cususque sint anquirendum est. Transylvaniæ (a) plurimi vindicant, illum Marisium hunc Chrusum esse, Vanniumque in Transylvaniæ s. Daciæ parte tunc Regem extitisse, contra (b) Plinii autoritatem Historiæque Dacicæ monumenta affirmant. Nobis (c) Marus Moraviæ fl. Cusus (quam lectionem corruptam esse, (d) Szamosius optime commonstrat) Tissus Daciæ limes est.

NOTÆ.

(a) Inter quos Rapoldus quoque. (b) qui IV. 12. hist. nat. Suevos Regnumque Vannianum sollicite à Dacia distinguit. (c) sive Morus hodie die Maahre. add. HANKII cap. XVI. §. 30. de Silef. major. (d) ita Hungarum Idioma fert, qui sic in Analect. Antiquit. Dacic. cap. I. in fine: Posterioris (Cusi scilicet) primam syllabam tempus depravavit. Nam cum superioribus sæculis T. litteræ columna inferior in C. formam incurvata & superne linea imposita à librariis scripta fuerit, pro Tissum Cusum, qui nusquam est (si fl. Keeres nempe pro hoc accipere nolueris,) irrepsit. Obiter noto, Cellarium in Daciæ Mœsiarumque Tabula finxisse Cusum quendam, illique locum Granuam inter & Tibiscum dedisse. Nec beato Rhenano accedam, qui ad Plinii loc. c. (quem §. sequent: in notis integrum dabo,) Jazyges Sarmatas, Dacos à Marisio ad Tissum recedere cœpisse credit, sicque priorem Daciæ fl. esse; cum enim illa Jazygum migratione (qui ex Sarmatia jam ante Alexandri M. tempora descendebant) effectum sit, ut pars gentis in fertili solio consederit, Jazygumque Metanastarum regioni nomen fecerit, quæras quæso hanc A. L. ex Rhenani sententia in Dacia, Dacis à Marisio ad Tissum sive ab oriente ad occidentem fugientibus, certe nusquam invenies, ex mea vero, Jazyges ab occidente irrumpentes, campos & plana occupasse, Dacosque ab extremis Carpathum radicibus (quæ ad Morum Moraviæ sunt) ultra Tissum fugasse, sicque amœ-

amœna loca Granicam inter & Tibiscum sibi retinuisse affirmante, patet omnino Jazygum Metanastarum regio, in qua Attila aulam posuit, & in Geopraph. Tabulis & in ipsius Ptolemæi lib. III. cujus elegantissimus & membranaceus codex in Celeberrima Urbis nostræ Bibliotheca Rhedigeriana extat, qui Romæ 1482. prodiit, præterea egregius Franc. Foris Otrokocsii de Origin. Hungaricis liber cap. 2. optimis mentem meam argumentis firmat.

§. 4. Etenim cum neque Cajo per aurigandi, Claudio per aleæ studium, Neroni ob citharœdos in Dacos ire liceret, Romani certe, quos ultra Danubium in Dacia agros aliis concederent, ipsi non habebant: (a) Tissi vero fontes, qui Carpathes attingunt, fines Regni VANNIANI ad orientem sunt; hinc inter Morum Tissumque optimas invenere sedes ex Italia redeuntes Quadi, imperioque VANNII adscripti sunt.

NOTÆ.

(a) Tissus itaque s. Pathissus Plinii, qui ex Carpathum radicibus ad occidentem effunditur, limes est Daciam inter & regnum Vannianum. Meretur locus ex lib. IV. cap. 12. H. N. quod eum curatius edam: Sic vero tradit: Campos & plana Jazyges Sarmatæ: Montes vero & saltus pulsi ab his Daci ad Pathissum amnem à Moro (sive is Duria est) à Svevis Regnoque Vanniano dirimens eos. Tria hic adesse arbitror nobis observanda: 1. Jazygum incursionem, quæ ante Alexandrum M. facta est (cum Arrianus l. antea c. Quadis ad Danubium Jazyges jam adjungat) Dacosque, qui ad Morum usque i. e. ad ultimas Carpathum radices Imperii sui fines prorogaverant, Tisso termino se continere jussit: 2. verba hæc: sive is Duria est: absque dubio scribentium vitio in textum irrepsisse, quæ quis forte in marginem addiderat. Doria enim major & minor flumen Alpinum est, Salassis εἰς τὰ χρυσοπλύσια, hodie la Doria: de quo Plin. ipse jam III. 16. mentio-

 nem

nem injecerat: 3. Morum ad occidentem, ſi cum Tibiſco conferas, ſpectare neceſſe eſt, quia Jazyges ea, quæ relinquebant Daci loca, ab occidente ad orientem fugientes occupabant, omnis vero poſt Tibiſcum & Mariſium regio in Dacorum poteſtate remanſit. En! ergo Morum hunc Moraviæ, non Daciæ fluvium; quod erat demonſtrandum.

§. 5. Aſt non procul ab Atheſi urbem fuiſſe (a) Ptolomæus autor eſt, quæ VANNIÆ nomen obtinuit, unde forte à Rege (b) noſtro conditam, ejusque Atheſin inter & Ænum Imperium fuiſſe credideris? verum cum ultra Noricum & Rhætiam Romani Juris provincias à Quadis ſit disjuncta, & Vennonum gens, qui ὀυενώνιοι (c) Dioni Caſſio, ὀυίννωνες Ptolemæo audiunt, eam habuerint, apparere ſatis arbitror, à populo urbem Vennoniæ inde Vanniæ nomen eſſe ſortitam.

NOTÆ.

(a) Add. Dominici Marii Nigri Comment. Geogr. VII. (b) veluti à Maroboduo in Bojemia Maroboduum (c) lib. LIV. p. 534.

§. 6. Itaque amplum potensque (cui veros terminos reddidimus) VANNII Regnum Albis, Viſtulæ, Tiſſique origines habuit, & ad Hermunduros, imo ultra Hercyniam ſylvam, à ſeptentrione fuit porrectum, Sarmatas & Dacos fœdus, Romanos metus & Danubius ab ejus limine prohibebant, nihilque gentium ſecuritati, niſi regiæ ſtirpis concordia deerat, diſcant omnes nec ſalutem tueri, nec communem utilitatem promoveri poſſe, quam

quam ſi ſemel animos intraverit diſcordia, novarumque rerum libido, non fugæ, clades, vaſtitatesque ſequantur.

CAPUT V.

VANNIANUM REGNUM DIVISUM: SIDO & VANGIO ſuccedunt: SILESIA poſt VANNIUM ad ANTONINUM usque.

§. 1.

VIcto Vannio inque fugam conjecto votorum ſuorum ſummam nanciſcebantur regni cupiditate accenſi juvenes Sido & Vangio, qui commodis ſuis non honeſtate res gerendas metiebantur. Regnum enim (a) vacuum præcipites ſibi rapiunt, terrasque ſceleris ſui (b) prædas dividunt, Marcomannis VANGIO, Quadis Lygiisque SIDO Rex obtigit, animo feroces, ſuis antequam emergerent grati, inde ſervitute preſſis exoſi, egregia adverſus Romanos fide, ſed non pares tuendæ, ad quam eos regnandi libido traduxerat, dignitati.

NOTÆ.

(a) Quod populo reddendum erat, ſi ab injuſto rege liberaſſent, uti apud Italos accidit, cum Auriacus Genuenſis, rapta à Gallis Savona, oppreſſisque ſuorum commerciis, patriæ libertatem aſſereret, Cæſaris inde autoritate confirmatam, qui ideo ſtatuam hac Inſcr. meruit: Joanni ab Auria Patricio Genuenſi, qui cum Patriæ princeps eſſe poſſet, ſervatæ civis eſſe maluit. (b) Tac. Annal. XII. Regnum Vangio ac SIDO inter ſe partivere. add. Hank, l. c. cap. 16. §. 36.

§. 2. SIDONIS manu fortiſſimi Quadorum Lygiorumque Regis in (a) aſſerendo Veſpaſiani contra Vitellium Imperio merita evehunt Romani: Parata etenim acie inter primores ſtabat cum Italico Hermundurorum rege, miraque in prœlio velocitate & virtute uſus eſt, donec ſuperato Vitellio alter liberam ab omni hoſte in ſe ſuſciperet poteſtatem.

NOTÆ.

(a) Dabimus hoc numeroſæ Germanorum gloriæ, ſi de Imperio lites ortæ, illum, cui auxilio erant, victoriam reportaſſe; quod hic Veſpaſiani, de quo Tac. III. 5. & 21. Hiſtor. antea Cæſaris exemplum, de quo cap. II. §. 4. lib. hujus, affirmat.

§. 3. VANGIONIS res quidque ad memoriam Marcomannorum addiderit repetere non licet, cum Annales taceant, monuiſſe ſufficiat VANNII (a) fatum cum fratre demum expertum eſſe, Quadosque & Marcomannos, vindicata in libertatem afflicta oppreſſaque patria, pulcerrima, nullis tamen regibus ductos, ultra ſæculi dimidium edidiſſe facinora.

NOTÆ.

(a) Innuit hoc Tacitus l. c. Subjectis ſuone an ſervitii ingenio dum adipiſcerentur dominationes multa caritate, & majore odio poſtquam adepti ſunt.

§. 4. Inteſtinum interea bellum Lygios inter & Suevorum nationem quandam obortum eſt, mittebat illis Domitianus non numero valida, ſed pro

pro dignitate auxilia (a) centum equites; an vero ex Lygiorum ſententia confectum in (b) Myſia bellum fuerit, omiſit, qui illius mentionem fecit, Dio.

NOTÆ.

(a) Dio Caſſ. LXVII. Speculatores potius dixerim. (b) Quæ Myſia hæc ſit, varii varie produnt. Nugis delectantur, qui eam regionem eſſe, quæ nunc Misnenſis Marchia audit, autumant; hæc enim unde nomen ſortita ſit Magnif. MENKENIUS de Græcar. & lat. litt. in Misnia inſtauratoribus aphor. 1. §. 2. & Clar. Schurzfleiſchius in Marchia Misnenſi optime docent. An itaque Myſia ad Danubium? Imo quid obſtat. Sed unde in eam Suevi? En ſententiam meam! Suevos antea à Rheno ad Albim porrectos fuiſſe Strabonis autoritas aſſeruit, idem lib. VII. de aliqua eorum gente tradit, quod habitet, ἐκτὸς τῦ δρυμῦ (nempe Hercynii) ὁμορα τοῖς Γέταις. Aſt quibus quæſo Getis? Dacis puto, quos cum Getis unam eandemque gentem, quanquam male, Græci dixerunt Plinio IV. 12. Hiſt. Nat. teſte. Itaque ex Suevorum nationibus una Strabonis (ſ. Auguſti) ætate Getis his (ſive Dacis) erat finitima, quorum potentia tum adeo creverat, ut ſuperato Danubio longe lateque provincias vaſtarent, cumque inter illam & Lygios Quadorum ſocios bellum Domitiani tempeſtate exortum eſſet, in nulla certe alia regione, quam ἐν τῇ Μυσίᾳ (ſuperiore nempe) geſtum eſt; Mœſiam enim Myſiam quoque appellari lapides apud Gruterum oſtendunt pag. 521. & 446. Imo Tacitus hæc in pr. Germania (cujus maxima pars Suevis ſuberat) à Sarmatis Dacisque mutuo metu aut montibus ſeparatur. add. Althammeri Comment.

§. 5. Ingentis tamen gloriæ bellum cum MARCOMANNIS Domitianum geſſiſſe affirmat (a) poëtarum adulatio, deſtruit vero Dionis Caſſii (b) fides, qui, cum Marcomanni & Quadi nulla contra Dacos auxilia mitterent, & apud exacerbatum Imperatorem per legatos veniam facti peterent, Domiti-

mitianum trucidatis, quos miserant, trajectoque Danubio in eorum terras venisse, sed mox victum fuga sibi consuluisse tradit. Erat enim τὴν ψυχὴν ἄτολμος Cæsar, hinc nec de Marcomannis, neque de Sarmatis, imo vix de Dacis (c) triumphum meruit, & occurrens illud in numis ejus Germanici cognomen ex asserta per legatos de (d) Gattis victoria sibi vindicavit.

NOTÆ.

(a) Statius in Consol. ad Claud. Etruscum Sylv. III. 3. v. 170. Cæsaris Domitiani res gestas ita canit:

Hæc est, quæ victis parcentia fœdera Cattis,
Quæque suum Dacis donat clementia montem,
Quæ modo Marcomanos post horrida bella, vagosque
Sauromatas, Latio non est dignata triumpho.

optime hic Barthius commentat. cum Marcomannis Suevos Lygiosque conjunctos fuisse probat, sed adulationem Statii ex Dione Cassio non detexit. Enimvero cur clementia Cæsaris vagos Sauromatas latio triumpho non dignata est? Suetonius cap. 6. in Vita respondeat: de Sarmatis lauream modo Capitolino Jovi retulit. An vero inter lauream Jovi offerre, & triumphum agere diversitas? sane maxima. Ostendit eam ad hunc locum Casaubonus: Majus & longe dignius triumphi, quam Laureæ jus. Antoninum Collegam Ciceronis ex bello Catilinario lauream reportasse, quis nescit? atqui triumphandi neque jus neque spem ullam Antonium habuisse certissimum est. (b) Sic enim p. m. 762. horrida cum Marcomannis bella exponit: ὁ αὐτὸς Δομιτιανὸς ἡττηθεὶς ὑπὸ Μαρκομάννων, καὶ Φυγών. En! fugientis notam, aut si cum Statio loqui mavis, Cæsaris recedentis & Marcomannis parcentis clementiam! (c) quem cladibus, fraude & sumtibus maximis paratum idem Dio Cassius descripsit. (d) Sueton. c. 6. in Vita.

§. 6. Sub Nerva optimo sene Quadis & Marcomannis res tranquillæ, cumque à Trajano Daciæ bellum inferri audirent, fama tanti Imperatoris perculsi, & ob id, quod ipse Decebalus cognoverat, ante Domitianum non populum Romanum à se victum esse timidiores, (a) finibus suis se continebant, ne Dacis subactis regnoque in provinciæ formam redacto victoris iram indignationemque mererentur.

NOTÆ.

(a) Raphaël quidem Volaterranus VII. 4. bellum Trajani cum Quadis habet, sed cum fontem, unde hanc expeditionem hauserit, non coronet, prius nobis colligere liceat.

CAPUT VI.,
ROMANORUM IN ALENDIS INTER NOSTRAS GENTES DISCORDIIS ARTES.

§. 1.

QUadorum Marcomannorumque gentem non vi sed consilio infringi posse (a) Tiberius (b) Drususque Cæsar agnovit; hinc res nostras perscrutanti causæ manant, cur tot dissidiis acta fuerit patria, quibus ex voto effectum est, ut de Alpibus superandis rarius in primo P.C.N. sæculo, sæpius de regibus ejiciendis, novisque creandis cogitarent majores.

NOTÆ.

(a) Tacit. Annal. II. 63. (b) idem l. c. c. 62. Haud leve decus Drusus quæsivit, inliciens Germanos ad discordias.

§. 2. Cæsar quidem & Augustus non insidiis sed armis aggrediebantur hostes, aut melius tutiusque

ſine bello his in oris proſpexit (a) Tiberius. nam Maroboduum blanditiis captum per Druſum filium contra Arminium, hunc contra novas quaſi apud ſuos res molientem Maroboduum excitabat, pares ſe vix ferre, altiusque progrediendum eſſe; hinc uti erat impigro ac acri ingenio Arminius, pro ſalute patriæ bellum parat, occurrit Maroboduus, ſuperatur, à Catualda fugatur, nullamque, niſi (b) miſericordiam Cæſaris, ſpem habet.

NOTÆ.

(a) Varianæ forte cladis memor. (b) Tacit. Annal. II. 63. Maroboduo undique deſerto non aliud ſubſidium, quam miſericordia Cæſaris fuit.

§. 3. Omnia fere omnium ſcriptorum monumenta has Tiberii artes (a) produnt. Catualda regnum occupat, qui in Maroboduum infauſtis quondam, nunc ſecundis, auſpiciis pugnaverat, mox ut externum patriæque proditorem reddit inviſum; hinc in exilium acto VANNIUS QUADUS ſuccedit, qui armorum opumque vi per xxx. annos ſecure ſuis imperabat, forte quod interea diem ſuum obierat Tiberius; ſed iisdem veſtigiis inſtans Claudius non conſedit, donec ex ſorore nepotibus regnandi inſpiraret cupidinem. Hi juvenilis animi & diuturni, quod geſſerat avunculus, Imperii pertæſi bellum parant, patriam diripiunt, nationes in ſpolia ſuorum invitant, imo eousque furoris

ris inſurgunt, ut collectis undique copiis acerrimo prœlio fuſum & ad Iſtri ripam fugientem VANNIUM proſequantur, occupantes, cui inhiabant, dignitatem.

NOTÆ.

(a) Sueton. in vita c. 37. Reges infeſtos ſuſpectosque comminationibus magis & querelis, quam vi repreſſit: quosdam per blanditias atque promiſſa extractos ad ſuos non remiſit, ut MAROBODUUM Germanum, Thraſcypolin (rectius legas Rhaſcupolin vel Rhaſipolin Lucano & Vellej. Paterc. id probantibus) Thracem, Archelaum Cappadocem, cujus etiam regnum in provinciæ formam redegit. Et Vellej. Patercul. II. 129. Qua vi, conſiliorum ſuorum miniſtro & adjutore uſus Druſo filio ſuo, MAROBODUUM inhærentem occupati regni finibus, pace majeſtatis ejus dixerim, velut ſerpentem abſtruſum terræ, ſalubribus conſiliorum ſuorum medicamentis juſſit egredi? quam illum & honorate, nec ſecure continet. Etenim ſi voluiſſet, potuiſſet regno ſuo reddere Maroboduum Tiberius, uti poſtea Spurinna Bructerum Regem vi & armis in regnum induxit Plinio teſte (II. epiſt. 7.) Trajano jubente, ſed aliud ſuadebat aſtutia. Hinc Franc. Faber in Sabotho.

- - - primoque ſub ortu
Marbothi regnum Romano concidit aſtu:

pauloque ante:

- - - nec enim Catualda, Quadusque
VANNIUS Italicas cavit ſolertius artes.

CAPUT VII.

RES SILESIÆ AB ANTONINO AD SLAVORUM USQUE ADVENTUM.

§. 1.

AB Antonino demum QUADIS regem datum (a) numus præſens affirmat, ſed ægre gentis (b) vires ſuperbiamque tulit Marcus; hinc in foro Divi Trajani (exhauſto jam ærario) auctio-

nem ornamentorum imperialium & pretioſiſſimæ ſuppellectilis fecit, quæ Venditio per duos menſes (c) Capitolino teſte celebrata eſt. Victis inde Marcomannis, qui Marcum Vindicem felici prœlio interfecerant, in QUADOS proficiſcebatur. Hi circumfuſi eo jam redegerant Imperatorem, ut de ſua & exercitus ſalute deſperaret, niſi (d) manifeſto DEI præſentis auxilio vitam famamque reportaſſet; Legio quippe Chriſtiana precibus ſuis impetravit, quod

- - - (e) flammeus Imber in hoſtes
Decidit, & ſubitis fluxere vaporibus enſes:

quam victoriam, cui in (f) Jazyges expeditio anſam dederat, Dio Caſſius aliique tradunt.

NOTÆ.

(a) In Tabula Regni Vanniani.

(b) Ad Granuam enim usque, infer. Pannoniæ fl. terminos ſuos prorogaverat, quare Marcus in fin. lib. I. ad Se ipſum: Τὰ ἐν κυάδοις πρὸς τῷ γερανῷα. Imo in Italiam penetraverat, cui Exercitui Eutropio VIII. teſte copiæ πάντων τῶν βαρβάρων aderant, hinc bellum geſtum cum Punicis conferendum. (c) in vita p. m. 371. Edit. Hackianæ. add. Dio Caſſ. LXXI. (d) ſingula quæ huc ſpectant celeberr. Hankius collegit l. c. cap. 17. §. 4--20. (e) Claudian. de Honorii Conſolatu VI. (f) Optimi Quadorum ſocii, nunc à Marco ad pacem petendam adacti, quam Zantius Rex ipſe cum proceribus deſiderabat, cum paulo ante Banadaspum Regem eandem ob cauſam in vincula conjeciſſent. Dio Caſſ. p. m. 808.

§. 2. Itaque Reges iterum patiebantur QUADI, & remoto (a) Furtio, Ariogæſum, (b) Gaiovomarum,

rum (c) Semnonem (d) Viduarium, (e) Gabiniumque propria ſibi autoritate creabant, ſe Sarmatis Vandalisque jungebant, ad Placentiam Romanis cladem inferebant, diviſoque in Occidentem & Orientem Imperio ferociores Sirmium obſidebant, irato ob reſponſum durius Valentiniano mortem attrahebant, tandemque urbi, gentium dominæ, exitium parabant, quæ pluribus exponere opus haud eſt, cum jam ab eruditiſſ. (f) Hankio optime memoriæ prodita ſint.

NOTÆ.

(a) Cujus Imaginem absque dubio numus antecedens dedit, vid. de ipſo & Ariogæſo Dio Caſſ. LXXI. (b) quem accuſatum Caracalla interemit, uti apud Dion. Caſſ. in Excerp. Peireſcianis ex lib. LXXVII. videre eſt. add. Hank. l. c. cap. XVIII. §. 1. (c) forte ex Suevis Semnonibus oriundum, unde cognomen, Zoſim. de eo lib. I. qui & filium ejus Semnonem vocat. (d) cujus filius Vitrodurus regalis (i. e. regulus ſub imperio paterno) & Agilimundus ſubregulus cum optimatibus Quadorum eductis mucronibus, quos pro numinibus colunt, an. 358. Conſtantio Auguſto jurarunt ſe permanſuros in fide: Am. Marcellin. XVII. c. 12. (e) hoſpitalis officii ſanctitate nefarie violata trucidatum: idem XXIX. 6. edit. mihi Valeſianæ: hinc irati Quadi bellum Romanis inferunt, ex quo Valentiniani mors ſecuta, quam Aurel. Victor & Am. Marcell. habent. (f) l. c. cap. 19. & 20.

§. 3. (a) Attila tandem prodeunte, quem lapis an. 367. (b) CPoli forte inventus, græcoque oraculo inſignis, venturum prædixerat, gentium noſtrarum fortuna mutatur. Hic immenſis copiis, ex infinita ſoli interjacentis vaſtitate collectis, tranſi-

bat Danubium, optimo genere natus, fortis, prudens & ab omni luxu alienus, exſtructaque in(c) Jazygum Metanaſtarum regione fertiliſſima Regia undique legatos affluentes excipiebat, inde vero (d)Marcomannis, Quadis, aliisque populis ſui Juris factis per Germaniam in Galliam proficiſcebatur, ſed ingenti clade victus in Pannoniam redibat, ibique an. 454. dubium quo(e)mortis genere interiit.

NOTÆ.

(a) De Titulo ejus ficto cumulatius egit clar. Schurzfleiſch. Diſp. hiſtor. XII. quæ UNGARICA exhibet §. 5. in notis ** ego numos quoque, quos Diſputat. ſuæ de Attila Rothius Ulmenſ. ex Muſæo Boſiano præfixerat, rejicio. Eſt inter illos unus, ob expugnatam Aquilejam cuſus, & litteris latinis donatus, quem tamen mecum recentioris ævi eſſe amicus mihi BELIUS THEOLOGUS POSONIENSIS de vetere Litterat. Hunno-Scyth. p. 68. teſtatur, cujus VIRI ERUDITISSIMI Notitiam Hungariæ antiquæ, mediæ, & novæ avide expectamus. (b) Amm. Marcellin. teſte XXXI. 1. (c) Singulari induſtria Attilæ res Franc. Foris Otrokocſius in Orig. Hungar. Part. I. illuſtravit, cujus libri laudes nunquam ſatis edere poſſum. (d) Hankius l. c. cap. 20. §. 8. 9. 10. 11. 12. (e) ita Otrokocſ. Part. I. c. 4. §. 19. Concedamus ergo hoc tanquam probabile, quod ex conſueto ſanguinis è naribus profluvio demum nimio fuerit debilitatus, ut inde mors ejus ſit ſecuta, cætera de temulentia & ſuffocatione incerta ſunt.

§. 4. Nutantem ſub Attila libertatem recuperant eo defuncto (a) QUADI, quippe vaſtiſſimo Imperio inter filios diviſo genti fortiſſimæ ad vindicandam Patriam non defuerunt arma; nova vero tempeſtas imminebat, cum (b) Slavi ingenti multitudine fratribus Lecho Czechoque ducti adven-

adventarent, quorum hic Bohemiam Moraviamque, ille Sarmatiam noſtrasque terras occupaſſe fertur.

NOTÆ.

(a) Imo aliæ quoque nationes. vid. Anton. Bonfinius in Reb. Hungaricis Decad. I. lib. VII. (b) vid. Hankius in fine de Sileſ. Majoribus: & cap. I. de Rebus Sileſiorum: Stenus Bregenſis, cujus Deſcriptionem Sileſiæ integram hoc Volumine exhibeo, Slavos hos Illyricios fuiſſe credit: ſed confitear campum apertum eſſe curatius qui fuerint, unde venerint, qua ratione Sileſiam inundaverint, diſſerendi; verum cum hoc præſentis inſtituti rationem excederet, id alia occaſione peragendum Deo dante ſervamus.

CAPUT VIII.

DE SACRIFICIO QUADORUM LYGIORUMque IN SABOTHO: ET DE DIIS EORUM.

§. 1.

COgnitis perſpectisque Sileſiæ antiquæ fatis receptui canerem, niſi Sabothus adſtans moneret, indignum eſſe Montem Augurem involvere ſilentio; quare apud Quados locum illi dare, operæ nobis pretium videtur, cum nec inſalutatum (a) Hankius noſter præterierit. In planitie locatus cunctis fere viatoribus occurrit, proſequentes fugit, fugientes proſequitur, futuram tempeſtatem ſignis edit certiſſimis, humeris ſylvas, gremio marmor & metalla gignit.

NOTÆ.

(a) De Sileſior. nominibus cap. V.

§. 2. Vix per omnem Regionem ſpecioſior, & ad

ad vanam gentilium Quadorum ſuperſtitionem eo aptior, cum quaſi aram in planitie natura erexerit; hinc communes cum Dacis mores (a) ſacra ibi poſuerant, Deique non formam ſed præſentiam venerabantur. DACI enim, vicina gens, in hoſtes ituri, cum Danubium gelu concretum ſuperarent, per πλίσες ſuos in monte rerum agendarum capiebant initium, (b) Iſtrum ſacri vini inſtar haurientes, neque ſe niſi hoſtium ſtrage edita regreſſuros, affirmantes; hinc evenire potuit, ut, quos in bellis comites, eos in ſacris duces QUADI habuerint.

NOTÆ.

(a) Aſſerit hoc Ditmarus Merſeburgenſ. VII. Hic (Mons) ob qualitatem ſuam & quantitatem, cum exſecranda Gentilitas ibi veneraretur, ab omnibus incolis nimis honorabatur. (b) Virgil. Georg. II. v. 497.

- - - conjurato deſcendens Dacus ab Hiſtro:

ad quem locum Junius Philargyrius Auſidium Modeſtum legiſſe affirmat, hunc morem fuiſſe Dacorum, ut, cum ad bella proficiſcerentur, non prius rem capeſſerent, quam, de Hiſtro certum modum haurientes, ore in modum ſacri vini jurarent, non ſe ad patriæ ſedem regreſſuros, niſi hoſtibus cæſis, & idcirco Virgilium familiari ſibi Hypallage uſum dixiſſe: Hiſtrum conjuratum. Spectat huc Dacorum mons, cujus Statius III. 3. v. 170. Sylv. meminit, qui forte Cœgenus eſt, quem, quorſum poneret, dubitavit Ortelius. πλίσες vero Joſephi, homines religioſos, quos Thomas de Pinedo ad Steph. Byzantin. voce Δάκαι, ſe neſcire confitetur, Criſtas Thracum eſſe (add. Laurembergii Græc. antiq. ad Thraciam) cœlibes, non carne ſed lacte & caſeo vitam ſuſtentantes, perſuaſum habeo.

§. 3. Quem

§. 3. Quem vero in Sabotho coluere Lygii & QUADI? (a) Sabazium Jovem aut Dionyſium Sabazium? (b) Solem dico, frugum autorem, ac, ut gentes putabant, æternum: hujus enim Cultum antiquiſſimum ad plurimas fere nationes permanaſſe ſacrarum litterarum teſtantur Volumina. Neque aliter evenire potuiſſe reor, quin quibus Dei veri cœli terræque conditoris Majeſtas erat incognita, ſolem ignem non intermoriturum, orbis locupletatorem, & curſu, vi ac potentia venerandum Deum ſibi crediderint, quod de Germanis (c) Cæſaris autoritas affirmat. Cum autem montem cultus locum elegerint, ideo factum arbitror, quod ſolis orientis radiis illuſtrentur primi, & inſigne quaſi (d) numinis advenientis ediderint ſpectaculum, imo ne vicinis ſolum ſed & remotioribus religionis pateat aſpectus.

NOTÆ.

(a) Macrob. I. 18. Saturnal. oſtendit, ſolem eundem ac Jovem & Bachum eſſe; σαβάζια ſacrorum erat vox; hinc Dionyſii Jovisque Sabazii in lapidibus nomina. (b) Obſervat (ſed qua autoritate fretus, non ſubjungit) Schurzfleiſchius in Diſput. hiſtor. LIII. §. 3. de Templ. Antiquitatibus, Germanos veteres (quorum pars QUADI) & vocabula pleraque ſic ritus quosdam à Perſis non abhorrentes tenuiſſe, Heſychio vero teſte Μίθρας ὁ ἥλιος παρὰ περσαις: de quo numine Statius I. Thebaid. in fine:

- - - ſeu te roſeum Titana vocari
Gentis Achameniæ ritu, ſeu præſtat Oſirin
Frugiferum, ſeu PERSÆI ſub rupibus antri
Indignata ſequi torquentem cornua MITHRAM:

(c) Bell. Gall. VII. c. 21. Eos Deos ducunt, quorum opibus aperte juvantur, ut SOLEM & Vulcanum (potius ignem) & Lunam, reliquos ne fama quidem acceperunt: (nempe A. C. N. priusquam Romanorum mores & sacra ipsis innotescerent, ut Marobodui inde tempestate factum est.) (d) Sic Adrianus Cæsar ad Antiochiam in montem Cassium videndi solis ortus gratia noctu ascendit, Ælio Spartiano teste, cum ejus tantam altitudinem Am. Marcellin. XXII. aliique tradant, ut secundis galliciniis primi solis ortus videantur. Ast & religionis ergo montem adiit Cæsar; Imbre enim orto fulmen decidens hostiam & victimarium sacrificanti afflavit. Solis quoque orientis caput radiatum in Rhodiorum & Nicæensium Bithyniæ numis invenies.

§. 4. Præterea quæ Vota interdiu Soli, eadem in Sabotho noctu Lunæ, (a) animarum dominæ ferebant, à quo sacrificio montem nomen accipere potuisse (b) Hankius noster egregie commonstrat: tunc etenim manibus evocatis ascendendi copiam dari, quietis nondum rite parentari, & futura temporum fata ab iis elici vetustas credidit, cujus rei frequentia inprimis in poëtarum libris vestigia occurrunt.

NOTÆ.

(a) Dominam regni tristis, quod vulgus silentum habet, Hecaten triformem Medea Senecæ Act. I. appellat: Hinc arcanæ moderatrix Cynthia noctis. (b) de Silef. Nominib. cap. V. §. 84. Quamobrem de nostra sententia, si (quod exrra controversiam positum videtur) Silesii pagani per cultum Dei sui quamvis superstitiosum, in monte Sabotho repetitum, consulere suis animabus studuerunt, an non iis Sabothus ideo Sielensberg, Sylensberg, Silensberg i. e. Mons animæ, (anima enim Germanis antiquis vocabatur SIEL, SYL, SIL) nominari potuit, qui latine scribentibus, præsertim externis, propterea mons Silens, Mons Silensis

sis appellatus fuerit? Addo, propterea Ditmarum Merseburg. Silesiam Pagum Silensem forte dixisse.

§. 5. Martis oraculum apud Thraces fuisse (a) Herodotus autor est, cui soli aram & delubra posuerant, hinc apud vicinos Dacos sociosque Quados idem illius honos, cum hæ nationes bellorum fuerint amantissimæ: sic Deus Sol, quem in Sabothi culmine adorabant, fruges dare, Mars (cujus effigies acinaces, fanum vero (b) Lubæ erat) defendere poterat; præterea per hunc jurabant (c) gentes nostræ, hujus (d) imaginem æreum in urnis secum condebant, ne manium quies ullo futuri sæculi impetu auferatur.

NOTÆ.

(a) In Melpomene: Ἀκινάκης σιδήρεος ἵδρυται ἀρχαῖος ἑκάστοισι, καὶ τοῦτ' ἐστὶ τῷ Ἄρεος τὸ ἄγαλμα. (b) affirmant id Curæus in Annal. Pohlius in Annalib. Vratisl. MStis ad an. 1044. & Clar. Schurzfleisch. Disp. histor. LX. de Lignicio. Imo Rapoldus hæc in Hist. MSta de Illustr. Silef. Ducatu: In celeberrimo Silesiæ Monasterio Cisterciensium Lubæ integra conspicitur (nempe sub dimidium Sec. XVI.) structura delubri Martis jam pro Christianorum devotione in aliam penicillo internoque apparatu redacta speciem. Tacit. Martem apud Germanos concessis animalibus placari autor est. (c) Teste Am. Marcell. XVII. c. 12. More qui & in Christiana Religione apud Polonos obtinuit, ut, cum sacerdos ante altare Evangelium recitaret, gladios stringerent, argumento se fidem sanguinis quoque profusione defendere velle. (d) hinc tot enses perminuti in urnis Maslensibus reperti, quorum formam Maslogr. liber exhibuit.

§. 6. Extirpatis demum undique sacris profanis inter fracta & paludibus submersa idola Dziewan-

wannæ Marzannæque occurrit, quorum illud venatus deam, hoc terram matrem ſ. Cererem indicare (a) Hankius noſter arbitratur: addam his montem, cui absque dubio idolum nomen dedit, caſtello jam ornatum, quod Gradesburgum alii, Stenus vero Bregenſis rectius (b) Grodesburgum appellat, hic (c) Saxonum numen, cui nomen Krodo eſt, cultum opinor, cum, quod Cranzius de (d) Saxonia ſcribit, & de noſtra gente conſtet, idolo quamvis ſubverſo exſecrationis vocabulum remanſiſſe, ut in deteſtationem rei peſſimæ Krodo dicant.

NOTÆ.

(a) de Sileſ. Rebus cap. 7. §. re. Dlugoſſus lib. II. ad an. 965. (b) Grötzberg Pohlio p. 141. in Hiſtor. incendiorum Goldbergæ vicinum, (quibusdam ſed poëtice nimis Gradivi mons,) in occidentali Sileſiæ parte, qua Saxones reſpicit. (c) Si ex Cæſaris mente eos ſibi Deos crediderunt veteres Germani, quorum opibus aperte juvantur, invenere cauſam Lygii & Quadi, cur hoc Saxonum numen ſibi quoque colendum putarent, cum Saxonum potentiam in tremendum Imperio Romano faſtigium Sæc. p. C. N. V. perductam cernerent. Effigiem Krodonis ad Tollii epiſt. itiner. I. in not. p. m. 30. dedit Henninius. (d) II. 12. addit Henninius: ipſe teſtari poſſum qui Krodenhencker, Krodenteufel, Krode non ſemel in Weſtofaliæ tractu inter gentilia illorum convitia notavi: imo non putem aliunde deteſtabili bufoni nomen Germanicum adhæſiſſe Kröte, quam in contemtum hujus idoli, antiquam enim bufonis vocem vere Germanicam ſervat adhuc Blegiſmus, nempe Padde.

Non

* *
* * *

Non dubito gratum fore, LECTOR AMICE, ut antiquæ Sileſiæ ſacris cognitis tumulum aperiam urnamque ſane maximam in Tabula Regni Vanniani oculis Tuis ſubjiciam, quam Annus 1705. Maslæ expoſuit: Diameter ejus quatuordecim fere pollices capit. Inſcriptio vero primum illi locum inter omnes vendicat, quam cum Collect. novæ rei litter. Hamburgenſ. ad An. 1706. Menſ. Januar. DECII MARTII OSSA QUATUOR OLLÆ LIBATIONUM: interpretor, Romanosque cineres eam ſervaſſe affirmo, cum Tiberius & Druſus haud ipſi apud Quados Lygiosque præſentes per legatos diſcordias aluerint: niſi Quadorum Lygiorumve regalem vel ſubregulum linguæ & moris Romani (quod cap. I. §. 4. oſtendimus) non ignarum ea conditum, & litteras hæc indicare credas: DEDICAVIT MARTI OSSA QUATUOR OLLAS LIBATIONUM.

* *
* * *

ARGUMENTUM LIBRI:

CAPUT I.

ANTIQUÆ SILESIÆ FACIES.

I. Fines antiquæ Sileſiæ: II. Marcomanni, Jazyges & Daci gentes vicinæ. III. Regionis temperies fluvii, & gentis ingenia ac mores, * origo nominis Rivi Cattorum. IV. Lygiorum & Quadorum lingua & arma. V. Naharvali Lygiorum pars, eorum Numen Alcis: unde nomen?

CAPUT II.

SILESIA ANTE VANNIUM.

I. Cimbris, cum expeditionem in Italiam ſuſciperent, per noſtras terras erat proficiſcendum: II. C. Jul. Cæſaris bellum cum Arioviſto, cujus in partibus Marcomanni & Suevi. III. Cæſar Pompejum ope Germanorum vincit. IV. Tudrus Quadorum Rex: Gothini ac Oſi tributa patiuntur: ubi ſedes habuerint. V. Maroboduus Quadorum Rex, ejus laus, prœlium cum Arminio, irruptio Catualdæ, clades & fuga Marobodui, exilium & fatum. VI. Catualda Quadorum Rex, ejus caſus.

CAPUT III.

VANNIUS REX

I. Vannius Rex quam bene de Regno ſuo meruerit. II. cauſæ cur ſuorum vicinorumque animos alienatos habuerit. III. Vangio ac Sido ex ſorore nepotes juvenes regnum avunculo eludere ſtudent, accedit eorum votis Hermundurorum Rex Vibilius. IV. VANNIUS ſuos non ſupprimendos ſed componendos eſſe ratus rem ad Imperatorem defert, ſed ejus opem non accepit. V. hinc caſtella Jazygum præſidiis firmat, quanquam impar hoſtium, qui undique confluunt numero: P. Attellius Hiſter Præſes Pannoniæ in ripa Danubii adverſa eventum belli ſollicite exſpectat. VI. Jazyges ſe caſtellis non contineri patiuntur, itaque ad prœlium itur. VII. VANNIUS optime pugnans fortunam ſiniſtram habet, ad Romanos demum confugit: VIII. Ejus elogium.

CAPUT IV.

REGNI VANNIANI AMPLITUDO:

VIRES ET TERMINI.

I. Error Ortelii de Regno Vanniano. II. Taciti de eo ſen-

ſententia. III. Marus Cuſusque non Daciæ fluvii ſunt, ſed ille Moraviæ Morus, hic (cum Taciti locus corruptus ſit) Tiſus ſ. Tiſſus Daciæ limes. IV. Locus Plinii emendatur, cujus tria capita. V. neque Vannia non procul ab Atheſi à Vannio Rege, ſed à Vennonum gente condita: VI. Veri Regni Vanniani termini.

CAPUT V.

VANNIANUM REGNUM DIVISUM:

SIDO ET VANGIO SUCCEDUNT: SILESIA POST VANNIUM AD ANTONINUM USQUE.

I. Sido & Vangio terras dividunt: II. Sidonis egregia in Romanos fides: III. utriusque fata: IV. Inteſtinum bellum Lygios inter & Suevos: V. Domitianus à Marcomannis victus: Statius adulatur. VI. Sub Nerva & Trajano Quadi & Lygii finibus ſuis ſe continent.

CAPUT VI.

ROMANORUM

IN ALENDIS INTER GENTES NOSTRAS DISCORDIIS ARTES.

I. De iis quædam in genere. II. & III. ſingula ſpeciatim.

CAPUT VII.

SILESIÆ RES.

AB ANTONINO AD SLAVORUM USQUE ADVENTUM:

I. Antonini Numus: REX QUAD. DAT. Bellum Marci cum Marcomannis. II. Reges & vires Quadorum: III. Gentis fata ſub Attila: IV. Libertas recuperata: Slavos adveniſſe fama eſt.

CAPUT VIII.

DE SACRIFICIO QUADORUM LYGIORUMque IN SABOTHO ET DE DIIS EORUM.

I. Descriptio Sabothi: II. Quadorum sacra an à Dacorum monte originem ducant? III. quem in Sabotho Quadi coluerint? Solem imo & IV. Lunam: V. Martis fanum Lubæ: quomodo per eum juraverint: ejus imagines in urnis: VI. Dziewannæ Marzannæque idola quid indicaverint: Silesiorum mons Grodesberg an à Saxonum numine Krodo nomen sortitus? affirmatur. *De Urna maxima.

α χ ω!

α † ω!

LEMMATA HISTORICA

AD

DUCATUM ET URBEM VRATISLAVIENSEM

PERTINENTIA

OPTIMORUM AUTORUM MSSTORUM ET DOCUMENTORUM

FIDE ADORNATA.

✲

Rapoldus in Hist. MSta de Illustr. SILESIÆ Ducatu:

✲

VRADISLAVIA suam Rempublicam administravit fortitudine certe magna, felicitate majori, maxima autem virtute & sapientia, quam & apud exteras Gentes multa laude prædicari audimus.

✲

PRÆFATIO.

SABOTHUM, AMICE LECTOR, Tua aſcendere non dedignabatur comitas, cum gentium noſtrarum ſub Vannio Rege & poſt ejus Imperium ſacra, cognoſceres; nunc in planitiem redeundum eſt, & Urbi bene precandum, cujus famæ celebritas non Sileſiæ finibus nec amplo Vannii Regno definitur. Quæ ſit illa anquiris? VRATISLAVIAM dico, SIGISMUNDO CÆSARE teſte ſplendidum inter plurimas civitates jubar; hujus ortum & fata mea, quæ volvis, TIBI ſiſtunt lemmata, cum patriæ laudem prorogandi natura animis quandam neceſſitatem injunxiſſe videatur. Neque tamen Annales integramve tantæ urbis hiſtoriam à me exſpectes, quam illorum humeris relinquam, qui experiendo magis quam diſcendo patriæ res cognoſcunt. Repetit hæc jure ſuo fructus quosdam à me, quanquam non niſi tenues tradam, verbisque ſtandum eſt, quibus ante biennium apud MAGNIFICI SENATUS ſecretius Conſilium confitebar, me originis nunquam fore immemorem. Etenim cum id ſæpius accidiſſe tradant litterarum monumenta, ut exiguis aliorum laboribus commoti graviores viri, cum illos hominum urbiumve cum virtute non adæquatos eſſe cognoſcerent, ſtimulis quaſi noctes & dies fuiſſe concitatos, ut ſummo ingenio expreſſam & politam edant, illud ſane Heſiodi ἀγαθὴ δ' ἔρις repetam, omnibusque lætitiis incedam, ſi idem patriæ & mihi contingere ſæculi noſtri bona fata jubeant. Hæc votorum meorum ſumma eſt, ut, quod ego vix extra limen proferam, alii altius evocent, neque deſint unquam, qui ſatis ſe vixiſſe putent, ſi bene de patria mereantur.

PRÆFATIO ALTERA
DE QUIBUSDAM INEDITIS HISTORIÆ PATRIÆ SCRIPTORIBUS,
QUORUM A ME FACTA EST MENTIO.

OPeræ pretium visum est, L. A. ut priusquam Lemmata hæc tenuia Tuis oculis submittam, atrium quasi Tibi recludam, in quo MSta perlustrare possis, quorum nomina hinc & inde his in paginis occurrunt: atque ut à Daniele Rapoldo JCto exordiar, cujus Historiam MStam De Illustrissimo Silesiæ Ducatu (in Vanniano Regno à nobis celebratam)* Rhonius, utrum communi temporum iniquitate perierit, se ignorare confitetur, Tuo codicem hunc supereſſe solatio dicam, *αὐτόγραφον* in Augustissima Vindobonensi, descriptum in instructissima Ill. Dn. De Bresler et Aschenburg S.C.R. Majestati a consiliis hac in urbe bibliotheca. Quid eo contineatur, scire cupis? Antiquam Silesiæ faciem exponit, inde de Urbis Vradislaviensis origine pauca, plura de *Episcopatu* habet, & ut uno verbo totum Codicem edam, Methodum conscribendæ Historiæ Silesiacæ sistit. Pohlii annales Urbis MSti, vastum opus ** Cimmelium sunt Bibliothecæ ad S. Spiritus ædem Neapolitenæ, legas in iis Urbis fata curatius edita, Eccle-

* Faciculo secundo de quibusdam ineditis Hist. Silesiac. Scriptoribus.
** Ita Chr. Rungius Specim. I. Miscell. litterar. de quibusdam ineditis Hist. Sil. Script.

Ecclesiasticarum rerum vices, præcipua Historiæ Silesiacæ capita, atque, uti mihi visum est, crediderim omnino virum industrium, ædis Magdaleneæ Archi-Diaconum & Seniorem, MStorum quorundam usum habuisse, quæ Sæculo abhinc exacto vel interierunt, vel plane nostrorum memoriam aufugerunt: Ejusdem Bibliothecæ sunt * Franc. Fabri vulgo Koeckrizi Origines Vratislavienses MStæ, Magnifici Senatus jussu confectæ, quæ urbis quidem originem tacent, privilegiorum tamen omnium seriem ordine chronologico edunt, imo Diplomata integra, Regisque Mathiæ ad Georg. Steinium (quem Silesia sibi præfectum ægre admodum tulit) litteras. ** Henelii Ab Hennenfeld Bresl. ographiæ Renovatæ MStæ & Casp. Sommeri Silesiæ Piæ MStæ (quæ originem & fata monasteriorum templorumque Silesiæ exponit) copiam Celeberr. Baronius J. U. D. Vratislavienſ. mihi fecit, qui *Ducum Silesiæ* & *Episcoporum* fere omnium monumenta, imagines & sigilla collegit, mecumque operam in restituendo Steno Bregensi (cujus Descriptionem Silesiæ, Imprimis Vratislaviæ, Sæc. XVI. inchoante confectam, ex MSto, sed non optima litterarum figura exarato, edo) consumsit. *** Rositzii Chronica et Numerus Episcoporum Vratislaviensium & in meis & in multorum manibus est, res urbis ad annum usque 1470. exponens. Licuit & evolvere vastum Silesiæ Togatæ opus, quo Henelius libris XII. non tam vitas quam elogia Silesiorum de Republica & litteraria bene meritorum congessit, & ex quo fonte vitas plurimas Silesiographiæ Renovatæ Reveren. Fibigerus addidit. Præterea Bibliothecæ

* Rhonius in fin. Fascic. II. Erat Reip. Patriæ à secretis, cui Sabothum: Carmen egregium: debemus.
** Idem in Fascic. III. capitum conspectum dedit.
*** Chr. Rungius Spec. II. Miscell. litt. de quibusdam ineditis Hist. Sil. Scriptor. no. I.

Rhedigerianæ debeo visum codicem MStum egregium: Georg. Schoenborneri a Schoenborn et Ziesendorf Liberam Viadri In Oceanum Navigationem: an. 1629. elaboratam, & Ferdinando II. Augusto inscriptam, cui XV. Diplomata & Privilegia in fine juncta fidem faciunt: Erat Autor Freistadiensis, Silesius, J. U. D. Cancellarius Hohenzolleranus, postea Schaffgotschianus & Syndicus Glogoviensis, tandemque S. C. & Reglæ Majestatis per inferiorem Silesiam & Lusatiam Fisci advocatus an. 1638. d. 23. Decemb. mortuus. De Theatro Monetario incomparabilis Viri Joh. Sigismund. ab Havnold. Sac. Cæs. Reglæque Majest. à Consiliis, & Reipubl. Vratislaviensis Præsidis, (quod MStum Tom. VIII. in fol. complectitur, & in eadem Bibliotheca extat, Tom. I. Episcoporum Vratisl. & II. Ducum Silesiæ imagines ex numis continens) pluribus Sect. IV. §. II. aget: reliquos, quos prætereo, libros MStos Hankius, Rhonius & Rungius ab oblivione vindicarunt, optime vero non Vratislaviæ modo, sed & universæ Silesiæ, votis Ill. Dn. De Bresler et Aschenburg. Sac. Cæs. Regiæque Majestati a Consiliis ac Patriæ Reipuplicæ Senator et Ærarii Præfectus faciet satis, in Corpore Scriptorum Bohemicorum, Moravicorum & Silesiacorum hactenus ineditorum, proxime vero (cum non nisi Pragensium MSta duo vel tria desint) edendorum, cujus eximii operiis unam omnium expectationem esse * confitemur.

* Sed en! Rerum nostrarum imbecillitatem: dum secunda speramus, adversa obveniunt; Nonis enim Maji elapsi vir. Nestoreis annis dignus, XLI. Ætatis obiit, Circulo quem ceperat eheu! nondum absoluto. Vitam ejus, scripta & famam promeritam singulari studio vir summe Reverendus Johannes Fridricus BURG exposuit.

DEO

DEO T. O. M. FAVENTE!

Sectio I.

DUCATUS VRATISLAVIENSIS SUB DUCIBUS.

Caput I.

De DUCATU & URBE quædam præmittuntur.

§. 1.

DUCATUS VRATISLAVIENSIS, cujus ut totius SILESIÆ princeps urbs VRATISLAVIA est, claritate & magnitudine inter finitimas plures memorabilis, Olsnensem, (a) Bregensem, Suidnicensem & Lignicensem fines habet, terramque sylvis antea horridam, nunc pinguem & fertilem occupans ab (b) Odora, Olava, Viado, & Loha irrigatur.

NOTÆ.

(a) Cujus pars terra Olavienſis eſt. (b) de fluminibus his vide Stenum Bregenſem.

§. 2. Urbs Ducatui nomen dedit, cujus conditor incertus: (a) Mieslao haud vetustiorem major Annalium numerus confitetur, nisi (b) Slavis jam innotuisse, & vel à (c) Duce eorum, vel à (d) trajectu dictam fuisse credas: (e) Budorgin Poëtarum fecit licentia.

NOTÆ.

NOTÆ.

(a) Dlugoſſus in Pol. Hiſt. I. 36. WRATISLAVIA A MIECZSLAW Polonorum Principe, ſub quo primum Poloni à Diis Gentium ad Chriſtianitatis jura converſi ſunt, CONDITA, Cathedræ honore & corporibus beatorum Martyrum ac templis ſanctorum pulcro opere fabrefactis, fluvioque Guttalo (ſic Odoram vocat) illam alluente celebris. Ex hoc fonte ad plures alios rumor permanavit, non alium Mieslao urbis noſtræ conditorem eſſe. Pohlius in Annal. MStis ad an. 1038. Mieslaum quidem urbi formam dediſſe aſſerit: ſed ad an. 965. hæc habet: Vratislaviam ea tempeſtate amplitudinem quandam nondum adeptam fuiſſe ex eo apparet, quod ultrà Viadrum ad meridiem non niſi tres vel quatuor domus turritæ, extiterint, quas Quadorum (Slavorum ſcribendum fuiſſet) Principes inhabitabant: has circum ligneæ domus aderant, uti hodienum Urbes in Lithuania & Moſcovia occurrunt. (b) Rapoldus in Hiſt. MSta de Illuſtr. Sil. Ducatu: Illius urbis prima fundamenta huc usque nondum ita ſcire potui, ut quæ obſervavi ſatis mihi facerent. Arbitror, ut non obſcure veteres innuunt Annales, conditam eam eſſe, ante annos circiter octingentos, (ſcripſit vero Rapoldus circa Sæc. XVI. medium) quando Germani ad Imperii Romani faſtigium aſcenderent, eo quoque tempore, quo Witteberga Saxoniæ initium accepiſſe proditur, (c) quod forte ex CAROLI V. Privilegio in fine addito cognoſcas: das ſchwarze W. im Wappen bedeutet den Nahmen Wratislai, der die Stadt Breslaw erſtlich gebauet und nach ſeinem Nahmen Wratislaw genandt hat: Etenim ſi de Vratislao Bohemorum Duce Imperatorem loqui credas, cum ſolenne ſit, urbium conditores ſæpius eos appellari, qui deſtructas reſtituunt, Ditmari tamen Merſeburg. quin accedam obſtat autoritas, qui lib. IV. jam ante Wratislaum hunc, Epiſcopatum appellat WROTISLAENSEM (ſic enim vocem Wiotislaënſem corrigendam eſſe puto) & Autor Chron. Magdeburgici (quod apud Meibomium extat) qui urbem noſtram Wortizlave appellat, quod utrumque nomen ex VRODSLAW Slavorum voce corruptam eſſe facile apparet, cum homines Germani pronunciando erraverint. (d) Brodslawam vel Vrodslavam Slavis trajectum eſſe Peucerus, Reineccius, Albinus, aliique pro-

probant; hinc ego Bratslaum vel Vratslaum eum, qui traduxit, ſ. Ducem appellativum primo nomen, inde in proprium abiiſſe conjicio. (e) Rapoldus quidem l. c. velut inter pulcerrima cœli ſidera longiſſime ſolem præcellere cernimus, ita, ſi regionis urbes conferimus, magnifice prælucet longe clariſſima & nobiliſſima Budorgis; ita enim antiquitus appellatam fuiſſe doctiſſimi homines arbitrantur civitatem Vradislavienſem. Imo Curæus Part. II. in Annalibus: & Principe quodam Lygio Biturige (quod nomen idem ſit ac Biderreich, hoc eſt, Vir honeſtus & integer, quem Græci καλὸν κ' ἀγαθὸν vocant) conditam fuiſſe Budorgim hanc autumat, præſertim cum Ptolemæi Budorgis ferme cum hoc ſitu congruat, & Tranſylvanum quendam extitiſſe ſciunt noſtrates, qui rudera Budorgis in vico Laskewiz tertio ab urbe lapide quærenda eſſe, multo labore aſſerere conatus fuit: Cum vero nondum inter illos, qui Ptolemæum ipſum interpretantur, lis compoſita an Budorgin, an Budorigum, hanc noſtram Vratislaviam aſſerere debeant, cum utraque fere ſub eadem Poli Elevatione appareat, merito Budorgin hiſtorica veritate noſtram facere haud audemus, ſed Poëtarum Carminibus relinquimus.

§. 3. Mihi Mieslao antiquior eſt VRATISLAVIA, ne tamen vera falſis miſcendo auguſtiora faciamus initia, confitendum eſt, primam originem ab omnibus ignorari, quod vero non ipſius culpa, ceu magnitudine ſua contenta priora neglexerit, ſed iniquo fato accidiſſe conſtat, cum ingenti incendio anno (a) MCC. tota cum Documentis omnibus interierit.

NOTÆ.

(a) Vide Pohlium in Annal. MStis ad annum hunc. Henelius in Breslographia hæc Cap. IV. §. 4. Primum anno 1200. urbem totam fortuito incendio abſumtam fuiſſe, privilegiaque tabularia & monumenta Reipublicæ exuſta Annales teſtantur.

CAPUT II.

RES SILESIÆ A PIASTO USQUE AD MIECISLAUM

§. 1.

LYgios, inferioris Sileſiæ gentem egregiam, cum Quadis famam adeptos tandem cum Slavis adventantibus coaluiſſe ferunt, quorum abſoluta Ducum longa ſerie, poſt Interregnum, quo ſe in libertatem Sileſia vindicabat, STEMMA PIASTEUM exortum eſt.

§. 2. PIASTUS, cujus nomen orbis terræ regionibus definitur, dum

- - - - modicis ævum tranſegit in agris,
Autumnum pomis & ver ſibi flore notabat,

ad Imperium in gentes arctoäs ſuſcipiendum raro fato vocatur, optimus Princeps, ſub quo in gratiam (a) cum Polonis redit Sileſia, (b) meliorem faciem induunt urbes, exilium ſentit temporum barbaries, caditque ſuperſtitio, dum MIESLAUS CHRISTIANAM FIDEM recipiens populos omnes ſibi ſubjectos ad ejus obſequium invitaret.

NOTÆ.

(a) Ob integritatis juſtitiæque famam, qua omnem Sarmatiam adimpleverat Piaſtus. (b) Dlugoſſo teſte Regni ſedem Gnesnam transtulit.

§. 3. Hic

§. 3. Hic opportunitate loci commotus VRATISLAVIAM ſ. VRODSLAVAM, exiguum hactenus vicum urbis forma (a) donavit, futuramque (b) EPISCOPATUI, quem Smogræ erexerat, ſedem deſtinavit.

NOTÆ.

(a) Ipſe Curæus in Annalibus Sileſiæ Part. I. p. 33. Ornaſſe dicitur (MIESLAUS) Provincias extructis aliquot urbibus & arcibus, inter quas etiam numeratur Vratislavia, cujus INSTAURATIONEM omnino in hæc tempora puto incidere. Idem Part. II. Putarem Principem (MIESLAUM) ex veteribus ruinis aut ruderibus civitates illas (Vratislaviam & Glogoviam) INSTAURASSE. (b) Cur non ab initio in urbem hanc transtulerit Princeps, ſunt qui cum Curæo & aliis anquirunt & mirantur, ideoque tunc demum ad eum recipiendum opportunam fuiſſe arbitrantur cum anno 1052. Caſimirus Rex Epiſcopatum in commodam S. Joannis Inſulam collocaret. Aſt debilitate ſua argumentum hoc laborare manifeſtum eſt, cum jam an. 1017. (ut ſequenti capite exponam) Ditmaro Merſeburgenſi civitas audiat Vrocozlava, & talis, in quam Boleslaus eventum obſidionis Nemezenſis expectans confugerat, imo ad an. 1038. Dlugoſſo & Dubravio, Gnesnæ & Posneniæ par ſit, uti ad Stenum Bregenſem in notis curatius affirmare animus eſt, ideoque rationem politicam ſubfuiſſe mihi videtur, forte quod Principes Epiſcopatui quidem ab urbe nomen, disjunctam tamen ſedem concedere mallent. *Dubium interea poſſet oriri, qua ratione contigerit, ut Ditmarus Merſeburgenſ. an. 1018. denatus lib. IV. Epiſcopum Wrotislaënſem jam appellaverit, cum nomen hoc Caſimiro demum concedente ſortitus ſit; aſt ſi Smogram (in qua Ditmaro vivente ſedes Epiſcopo erat) Regionis Vrotislaënſis ſive Vratislavienſis vicum eſſe cogitabis, facile cauſam invenies, quare Vrotislaënſem vocaret. Epiſcopus vero, quem Joannem fuiſſe ſcribit, noſtris Urbanus eſt, qui à Joanne XII. Pontifice Romano ipſe baculum paſtorale, forte & nomen hoc accepit.

Caput III.

RES SILESIÆ ET URBIS A MIECISLAO AD VLADISLAUM USQUE II. SILESIÆ DUCEM.

§. 1.

SÆculi X. exitus idem & MIESLAO fuerat, hinc in Provinciis paternis (a) BOLESLAUS succeſſit cognomine Chrobrius, bellis in Luſatia, Misnia, Bohemiaque geſtis inclytus, ſed non par HENRICI armis, qui eum fugere pacemque petere coëgit. Accidit ea Tempeſtate an 1017. ut Glogovia (b) VRATISLAVIAM abiret BOLESLAUS eventum obſidionis Nemetzenſis exſpectans, quo argumento, urbem noſtram ad præſtandam Principi ſuo ſecuritatem jam opportunam fuiſſe colligitur.

NOTÆ.

(a) An ab Ottone III. coronam acceperit, pluribus anquirere inſtituti rationem excederet; fuiſſe id inter plurima alia & ingentia nomina, quibus ſe noſtra ætate ELECTOR SAXO AUGUSTUS Polonis de novo Rege eligendo occupatis commendavit, (ab Imperatore SAXONE Boleslaum POLONUM corona regia donatum eſſe,) Lünigii Theatrum Ceremoniale Hiſtorico-Polit. Tom. II. p. 33. tradit, præterea uno hoc omnes ore Sarmatic. Rerum Scriptores teſtantur: Dlugoſſus, Cromerus, Gaguinus, Neugebauerus aliique, nec ſilentio prætereundum in Adrian. Regenvolſcii Hiſt. Eccl. Slavon. Provinc. I. c. 2. ex hiſtoria Calvi Montis affirmari, Boleslaum maluiſſe ab Imperatore OTTONE III. quam à Papa coronari, hinc Benedictum VII. coronam ex puriſſimo auro paratam Duci Hungariæ Stephano miſiſſe: ſunt tamen, qui in dubium vocant (inter quos Schurzfleiſch. in Diſp. hiſtor. XXI. quæ Lineamenta Sarmatica habet,) cum cœvi Germanorum Scriptores taceant, & quod Ditmarus IV. p. 91. Edit. Mader. ad an. 992. Poloniam Regnum, Helmoldus etiam I. c. 15. Bolislaum Polonorum Regem Chriſtianiſſimum vocat, ob provinciarum amplitudinem id factum eſſe arbitrantur, cum & aliis autoribus ſolemne ſit, vaſtiſſimas regiones Regio Titulo inſignire. Adde Hankium de Rebus Sileſiorum cap. VIII. ad an. 1001. (b) Ditmar. Merſeburgenſ. VII. Bolizlaus vero in WORETZLAVA civitate (Wrocislava ſ. Vrodslava ſcribendum erat, add. Sect. hujus Cap. 1. §. 2. lit. c.) Eventum rei ſolicitus exſpectans, cum Imperatorem abiiſſe, urbemque ſuam incolumem ſtare audiret lætatur, militibusque congaudet. Addit ad locum hunc in Breslographia innovata MSta Henelius cap. 1. Ex quibus verbis nec omnino tunc novam, nec nullius nominis urbem extitiſſe, haud difficulter colligitur. Imo Hankius l. c. cap. VII. §. 71. Sileſiorum urbs Worzelavia, cum an. 1017. ageretur, ſic erat munita, ut in ea Mieslai I. fil. Boleslaus I. Sileſiorum Polonorumque Dux, cum IMP. HENRICUS II. in Sileſia Nimicium obſideret, Glogovia Vrotislaviam velut in propinquiorem tutioremque locum diſcederet, obſidionis eventum ibi exſpectaturus.

§. 2. Non meliora Patre fata Mieslaus II. à (a) Cunrado victus ſenſit; quo tandem an. 1034. defuncto, inter (b) graves, quæ Poloniam vaſtabant, turbas, Bohemorum Dux (c) BRETISLAUS occupata Sileſia civitatem ea ætate jam opulentam & inſignem VRATISLAVIAM ſuperabat, incenſam reſtaurabat, conceſſaque ab Imperatore Henrico pace (d) DUX SILESIORUM retinebat, donec recuperatis aliis terris (e) Caſimirus I. Polon. Rex eam à Bretislao ex (f) pacto reciperet, (g) arce regia hodie adhuc ſuperſtite nobilitaret, & Epiſcopatum in commodam (h) S. Joannis Inſulam transferret.

NOTÆ.

(a) Quod fratrem Ottonem prosequeretur, & ad Russos in exilium abire cogeret, uti Germanorum Annales tradunt. adde Mart. Hankium de Silesiis rebus cap. VIII. Restitutus ergo patriæ fuit Otto auxilio Cæsaris, quod sibi petierat, hic vero Slezios, quos illi rapuerat, Teutonico præposito regendos dedit, ut MStum Chronicon Polonicum Hankio teste habet. (b) Mieslai enim conjux Richsa ob odium, quod Poloni in Germanam fœminam haberent, cum filio parvulo Casimiro aufugerat, uti fusius Dlugossus ad an. 1036. tradit. (c) idem ad an. 1038. (d) Æneas Sylv. cap. 19. Hist. Bohem. Silesia sub annuo tributo auri XXX. argenti CL. Marcarum Bohemiæ Principi tradita. add. Stenus Bregensis in fine. (e) Leubusini Monasterii conditor, quod ut alterum in monte Tyniec ad Vistulam duobus à Cracovia lapidibus Ordini, quem antea professus fuerat, addixit, ex cœnobio Cluniacensi redux, Instauratoris pacifici cognomen à suis sortitus. (f) iisdem qua hic Silesiam acceperat conditionibus Cosma Pragense I. ad an. 1054. teste. (g) Pohlius in Annalibus urbis nostræ MStis ad an. 1044. add. Stenus Bregensis. (h) ubi templum S. Johannis an. 1052. ex ligno ædificari cœptum: Hinc aliis & rectius Silesia non an. 1054. sed jam an. 1052. Casimiro tradita est, Ipsius Insulæ faciem ad vivum Stenus Bregens. dedit.

§. 3. Itaque Silesia ad Polonos à Bohemis iterum devoluta est, quorum Regem Boleslaum Audacem Romani Pontificis indignatio (quam (a) cæde Stanislai Cracovienſis Episcopi meruerat) suis finibus ejecit; sub Vladislao I. fratre terris in provincias divisis. (b) Magnus Comes VRATISLAVIENSIUM (i. e. Silesiorum) erat Capitaneus, qui recepto in urbis arcem (c) Sbigneo naturali Vladislai filio, exulum Polonorum duce, dissidio Polonos inter Silesiosque ansam dedit, collectam prin-

principis gratiam effudit, urbique venia data dignitate fuit multatus. Patrem an. 1102. mortuum Boleslaus III. excepit, (d) victoria uno ab urbe lapide reportata inclytus, cujus filius (e) VLADISLAUS II. SILESIIS Dux obvenit, à quo originem omnes tam inferioris quam superioris provinciæ Duces trahunt.

NOTÆ.

(a) An. 1079. die 8. Maji Dlugossus in Histor. Polon. III. Vincent. Kadlubko in Polon. Chronico II. epist. 21. cæterique Polonicarum rerum scriptores. (b) Dlugossus l. c. IV. (c) Secechus, Cracovienſium Palatinus, ex humili sorte ob militiæ successum ascendens, animum Vladislai occupabat, regni proceribus ob potentiam superbiamque gravis, adeo ut plures exilium sibi eligerent, & in Bohemiam abirent. Accessit quoque ad Bretislaum Bohemorum Ducem (Wratislai nuper in Comitiis Moguntinis ab Imp. Henrico IV. creati Regis fil. Polonorum hostem) Sbigneus, Vladislao ex concubina natus, relicto cœnobio, ne frater legitimus sed junior patri in Regno quondam se posthabito succederet. Hic VRATISLAVIAM sibi Asylum credidit, quæ benigne quidem excepit advenam, sed juramento prius obstrinxit, ne quid in patrem patriamve committeret. Tum primum publicumque Ordinum Silesiæ VRATISLAVIÆ an. 1096. conventum fuisse reperi, Magno Capitaneo convocante, quo, qua ratione Secechi injurias propellerent, cogitatum est. (d) In planitie septemtrionali urbis, ubi nunc Hundsfelda Ducatus Olsnensis oppidum. Henricum Imperat. egregia Silesiorum virtute tunc prostratum fuisse, uno fere omnes Annales ore confitentur, ex quibus singula Celeberr. Hankius l. c. cap. X. collegit, hinc ea repetere eum est animus. Adde tamen Pohlium in Annal. urbis MStis. ad an. 1109. (e) Boleslaus moriturus inter V. filios provincias dividebat, Vladislao Silesiam, Cracovienſem, Siradienſem, & Lancicienſem cum Imperio in reliquos fratres, Boleslao

Ieslao Maſovienſem, Dobrinenſem, Cujavienſem & Culmenſem: Mieslao Gnesnenſem, Posnanienſem, Caliſſienſem, Pomeranicamque: Henrico Sandomirienſem & Lublinenſem regionem tradens: Caſimiro tenero nihil terrarum, rotis quatuor currum conſtare, huic vero inſidentem commodum locum habere & dominum eſſe ratus. Vincentius Kadlubko in Hiſtor. Pol. lib. III. Epiſt. XXVII. Dlugoſſus lib. IV. & V.

§. 4. Sed qui (a) patri infeſtus fuerat, idem & Vladislaum II. (b) armis vexabat Sobieslaus Bohemorum Dux, quo bello (c) vix ſopito, lites inter fratres exortæ, cum (d) Vladislaus ſolus imperare mallet, fortuna tamen votis non reſpondente Polonia (e) pulſus demumque an. 1159. (f) Oldenburgi in exilio mortuus eſt.

NOTÆ.

(a) WRATISLAVIENSEM ea tempeſtate anno ſcil. 1132. Ducatum pervaſtatum à Bohemis fuiſſe Dlugoſſus IV. & Cromerus V. tradunt. Tandem monaſteriis plerisque & eccleſiis ac trecentis & amplius villis in Sileſia & WRATISLAVIENSI regione, una cum ædibus ſacris incendio conflagratis, præda etiam pecorum magna abducta in Bohemiam Sobieslaus rediit. (b) Dlugoſſus V. ad an. 1140. (c) Morte nempe Sobieslai conſedit. (d) Dlugoſſo teſte: omnes eos Principatus & Dominia, quæ in fratrum ſortem ceſſerant, detracta & erepta ſibi ratus. (e) Cracoviæ, quo aufugerat non tutus, Polonia & Sileſia exiit, ad affinem Cæſarem Conradum III. diſcedens, cujus opem implorabat, provincias interim fratre Boleslao IV. occupante, vid. Radevicus lib. I. c. 3. ſed & Cunradus & Fridericus vanam in eo cum fratribus conciliando operam conſumſerunt. (f) Holſatorum loco, ut vulgo creditur, d. 11. Jul. ætatis LV. fratrum (ut creditur) veneno. Pohlius vero in Annal. urbis MStis ad an. 1158. d. 2. Junii, Aldenburgi, arce perantiqua Franconiæ, prope Bambergam, eum diem ſuum obiiſſe refert. Adde Mart. Hankium l. c. cap. XI. §. 137. & ſeqq. Mihi Pohlii arridet ſententia, cum IMPERA-

PERATORI an. 1156. in Comitiis Ratisbonenſibus, in Franconiæ Orientalis civitate Herbipoli, demumque proximo natali Domini Wormatiæ commoranti exul opem poſcens adfuiſſe videatur. add. Otto Friſingenſ. II. 28. 29.

§. 5. Matrem (a) Siwislavam Michaëlis Ruſſi, novercam Salomeam Comitis Henrici de Bergen, conjugem (c) Adelheiden Henrici IV. filiam habuit; errant itaque omnes, qui Adelheiden patri, ipſi Chriſtinam uxorem tribuunt.

NOTÆ.

(a) Anonym. in vita S. Ottonis (quæ in Caniſii Lectionibus Antiquis extat) coævo teſtimonio: Quamdiu *Siwislawa, Michaëlis filia, Boleslai uxor*, ſuperſtes fuit, pax inter Sarmatas & Roxolanos viguit, ea vero poſt editum *Vladislaum* filiasque Swantoslawam & Juditham brevi exſtincta, ruptoque adeo vinculo, quo tota inter affines conſtabat amicitia, dudum conſopita bella recruduerunt. (b) Teſte Orthliebo inter primos monaſterii Zwiefaltenſis Patres, Abbate inde Nereshemenſi, qui Salomeam in Polonia vidit Ottonis de Stazelingen, ad aulam Boleslai profecti Comes. Excerpta ex Orthliebo Sulgeri Annales Zwiefaltenſes p. 99. habent, ubi in notis Genealogia Comitum de Berg extat. (c) Quod filii Boleslai Alti, III. Diplomata Leubuſenſi monaſterio data affirmant, quorum initium: In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Boleslaus Dux Zleſiæ, filius primogenitus illuſtris quondam Principis Wladislai, maximi Ducis Zleſiæ, inclytæque Dominæ Adelheidis, filiæ Imperatoris Henrici quarti.

CAPUT IV.

VRATISLAVIENSIS DUCATUS sub BOLESLAO I.

§. 1.

HActenus VRATISLAVIENSIUM nomine Sileſios dictos fuiſſe accepimus, inter tres

VLADISLAI filios (a) bonis paternis autoritate Friderici Barbaroſſæ poſtliminii jure reſtitutis an. 1163. dividebatur Provincia, MIECISLAUS ſ. MIESCO ſuperiorem, (b) BOLESLAUS mediam, (c) CONRADUS inferiorem ſortitus eſt, quam hoc ſine prole defuncto idem BOLESLAUS PRIMUS VRATISLAVIENSIUM DUX ſibi junxit, (e) Italica expeditione inclytus, qui Leubuſenſi monaſterio urbeque (f) Lignicenſi probe ornatis amplificatam ditionem poſt XXXVII. regiminis annos HENRICO I. BARBATO (g) reliquit.

NOTÆ.

(a) Sileſiæ ſaltem, nec univerſæ, civitates enim certas ſibi Boleslaus Criſpus retinuit; ſic Cracovienſium, Siradienſium & Lancicienſium in Polonia regionum patiebantur jacturam dura temporum neceſſitate. vid. Mart. Hankius de Sileſ. rebus cap. XII. (b) qui Alti ſ. Proceri cognomen obtinuit. (c) Laſcogonus, qui ἄπαις an. 1179. obiit. (d) Quam ſedem ſibi Conradi bonis auctus elegerat, Mieſco ob id iratus bello petiit, ſed Caſimirus Polon. Rex pacis amans ad fratres componendos huic Bitomienſe & Oswentimenſe Territorium de ſuo largitus eſt Dlugoſſo ad an. 1179. teſte. (e) Juvenis Fridericum Barbaroſſam (ad gratiam ejus colligendam) Mediolanum expugnaturum ſecutus, equitem ſuperbum & mole gigantem fere referentem, qui indies ad certamen Germanos procovabat, interfecit. Dlugoſſus ad an. 1161. V. Cromerus de Polonor. Rebus VI. aliique. Ab Alberto Tyrolinenſi Comite proſtratum, ſed non interfectum tradunt Radevicus Friſingenſis lib. I. cap. 37. & Güntherus in Ligurino VII. (f) quam ligneam invenit, lapideam reddidit, ibique primus aulam habuit, ut deinceps ſoli Vratislaviæ ſecunda eſſet. Schurzfl. diſp. hiſtor. LX. de Lignicio. (g) Proſperiori quam Pater fortuna uſus anno ætatis ſeptuageſimo quarto P. C. N. 1201. ſexta Decembr.

Decembr. die deceſſit, in Leubuſenſi Monaſterio ſepultus, his verſiculis tumulo adſcriptis:

Dux Boleslaus, honor patriæ, virtute deinceps
Cui par nullus erit, per Regna Polonica Princeps,
Conditur hoc loculo, locus, à quo * conditus iſte,
Dæmonis ara prius tua tranſit in Atria, Chriſte.

* Conditor Monaſterii ob munificentiæ laudem dicitur: vid. Schurzfl. l. c. §. 12.

§. 2. Ex priore cum VVenceslavva Ruſſica conjugio TAROSLAUS ipſi filius erat, EPISCOPUS WRATISLAVIENSIS, quam Eccleſiam (a) Ducatu Niſſenſi ditavit, ex altero cum Adelheide (cujus (b) ſoror (c) CUNRADO III. IMP. nupſerat) inito, HENRICUM BARBATUM ſucceſſorem habuit, filia vero Adelheidis Dypoldo Marchioni Meraniæ in matrimonium data.

NOTÆ.

(a) Quem à patre acceperat, cui poſtea Precislaus de Pogarella Grotgovienſe territorium adjunxit. Rapoldus in Hiſt. MSta de Illuſtr. Sileſiæ Ducatu: BOLESLAUS ALTUS ad Epiſcopalem dignitatem evehit filium JAROSLAUM nomine, abhinc ante annos ducentos quinquaginta ſex, qui Niſſam oppidum perpetua donatione cum omni fructu contribuit Epiſcoporum Vradislavienſium collegio. Caſp. Sommerus in Sileſia Pia MSta. lib. I. cap. 1. §. 5. Primi reditus Epiſcopi fuerunt decimæ, aucti poſtmodum donatione principum prædiis & agris, quibus acceſſit terra (malim Ducatus) Niſſenſis, à JAROSLAO BOLESLAI PROCERI SILES. DUCIS filio & Epiſcopo, inde Henrici Pii liberalitate inſigniter proventus Epiſcopales amplificati creverunt ſub Precislao emtione Ducatus (malim terræ) Grotgovienſis, adeo ut Romæ aureæ titulo WRATISLAVIENSIS cathedra mactetur. Vitam integram Jaroslai Ducis Hankius noſter de Sileſ. eruditis indigenis cap. IV. edidit. (b) Gertrudis dicta. (c) ſub quo fatalia ad perdendam patriam Guelphorum & Gibellinorum nomina orta.

CAPUT V.

HENRICUS I. BARBATUS: ET HENRICUS II. PIUS DUCES VRATISLAVIENSES.

§. 1.

PAtrem optimum filius (a) HENRICUS I. excepit, cujus plura in urbem Ducatumque extarent merita, nisi vitam inter (b) continua cum Poloniæ Principibus dissidia tollerasset, à quibus & an. 1228. captus inque Masoviam abductus est: liberatus tandem, gestoque ancipiti marte cum Vladislao Sputatore (c) bello ex Polonia ad Silesiæ res componendas redux Crosnæ an. MCCXXXVIII. in itinere (d) obiit.

NOTÆ.

(a) Ejus in privilegio, Episcopatui Vratislaviensi an. MCCI. concesso, titulus est: Henricus Dux Silesiæ, Cracoviæ & Sendomiriæ: quod confirmavit & integrum suo inseruit Wenceslaus Bohem. Rex, hinc in Fascicul. divers. Jur. Dn. de Weingarten de privilegiis Silesiæ p. 27. occurrit: ubi tamen observes, annum MCC. extare, quo pater adhuc vixit, inde in margine additum esse: privileg. Ducis Henrici IV. Vratisl. cum ipse Wenceslaus ita scribat: Et quidem primi Privilegii tenor &c. (Duces vero Henricos VI, ordine suo nominaverat) quod ergo corrigendum. Præterea se quoque Dei & beati Joannis gratia in numis & privilegiis dixisse Ducem Silesiogr. Renovatæ cap. VIII. §. 8. in notis affirmat. (b) Contra Lescum Album ad Poloniæ Principatum vocatus cum exercitu provinciam ingressus est, sed pace facta recessit, biennioque post an. 1227. d. 14. Novemb. in villa Poloniæ majoris Gansova in balneo à sicariis trucidatus fuisset, nisi equitis de Wiesenburg (al. de Weissenburg) virtus dominum servasset, qui vulnera excepit, cadensque ejus corpus contexit.

Dux

Dux fugiendi spatium nactus, Wratislaviam lectica delatus, mox contra Masovium in Poloniam à proceribus & vidua Lesci interfecti vocatus, iterum in hostem profectus, sed captus est, Hedwigis demum precibus carcere liberatus, quæ in Masoviam se personaliter contulit, uti Dlugossus ad annum hunc. (c) Quod paulo post exortum cum ex captivitate rediisset. Dlugoss. VI. ad an. 1236. Gnesnense Castrum frustra obsessum tradit. (d) die 19. Martii. Barbati nomen adeptus ob barbam, quam per XXX. annos aluit, quibus à conjuge sacris rebus dedita disjunctus vixerat. Dlugoss. VI. ad an. 1238. Corpus filius successor Trebnicium transtulit, hosque versus saxo incidi curavit:

Dux Henricus, honor Zlesiæ, quem plangere conor,
Hic jacet, hunc fundans fundum virtutis abundans,
Tutor egenorum, schola morum, virga reorum,
Cui sit ut absque mora locus in requie bonus ora.

§. 2. Conjugium ipsi fuit solutio cum HEDWIGE, Bertholdi (a) Meraniæ Ducis filia, exactum, quæ Trebnicense cœnobium condidit, puellis Cistercienses Ordinis addixit, iisque filiam Gertruden (b) abbatissam præfecit, vigesimo tandem ac quarto post obitum anno à Clemente Pontifice Romano (c) in sanctorum numerum relata.

NOTÆ.

(a) Quam male quidam Moraviam dicunt: subacta etenim à Carolo M. Bojoaria præfecti regionis Tirolensis Histriæque, Comites appellati sunt ab oppido s. vico Meran, quorum posteritate extincta nova gens Andechsia surrexit, ex qua Bertholdus III. Meraniæ Dux ab Imper. Friderico I. creatus est, cujus neptis hæc HEDWIGIS erat. vid. Henningesii Theatr. Genealog. Part. I. secundi & tertii regni in quarta Monarchia & Vitriarii Illustrati lib. I. XVII. (b) neglecto proco Ottone Comite Wittelsbacensi, cui Henrico Leone exauctorato Ducatum Noricum (Frisingense teste) concesserat Imperator, antea ab Arnulpho Malo amissum. (c) vid. Silesiogr. Renov. cap. VII. in notis ad Trebnitium.

§. 3. His parentibus PIUS ille HENRICUS ortus eſt, qui vitam & ſanguinem in acie pro ſalute patriæ effudit: cum enim ingens ille ex oriente Tartarorum (a) turbo prorupit, vaſtataque Pannonia & Sarmatia ingenti velocitate univerſam Sileſiam percurſaret, collectis undique auxiliis immenſam barbarorum vim Dux fortiſſimus in planicie Lignicenſi exſpectabat. (b) VRATISLAVIAM ſummi Numinis ope ſervatam magna cum indignatione deſeruerant hoſtes, hinc omnis ira in HENRICI exercitum verſa, quem (c) circumfuſum ingenti ſtrage edita ſuperabant, amputatumque Principis PII caput tropæi inſtar pilæ affixum circumgeſtabant, quanquam non ſine ſanguine illis parta fuerit victoria.

NOTÆ.

(a) Optime hanc Tartarorum incurſionem Stenus Bregenſis tradit: Scilicet Oktai, cujus pater Tzincis Chan regnum ampliſſimum formaverat, in ſpem orbis occupandi tres filios Jochy, Baydy & Cohagaday cum ingentibus copiis inſtruxit, quorum medius copiis in alas quinque diviſis, unam Peta Duce in Ruſſiam, Hungariam, Poloniamque prædatum dimiſit, quæ populatio an. 1241. in Sileſiam usque pervenit, VRATISLAVIÆ potiundæ copiam ſibi fore credens. (b) Cives urbe combuſta ſe cum bonis ſuis in arcem ad Viadrum receperant, quam Tartari fere ad incitas redactam oppugnabant, ſed piorum precibus effectum eſt, ut ſuborta ingenti tempeſtate hoſtes perterriti ſignum receptui darent. Liceat nobis ob urbem DEI T. O. M. auxiliis ſervatam Claudiani mutata paulum verba repetere:

Te propter gelidis Cœli Pater ipſe procellis
Obruit adverſas acies, revolutaque tela
Vertit in auctores & turbine reppulit haſtas:
O nimium dilecta DEO! cui flammeus imber
Venit ad obſequium, totus cui militat æther.
Et conjurato ſurgunt ex vertice venti.

(c) Prælium curatius edunt Poloniæ, Moraviæ, Bohemiæ, Sileſiæque ſcriptores, inter quos Pohlius in Annal. urbis MStis ad an. 1241. & imprimis Schulzius in monumento gratitudinis HENRICO II. erecto locum merentur. Numero barbari præſtabant; haud enim plus quam triginta armatorum millia adverſum ducenta millia amplius hoſtium expoſuit HENRICUS, in limine tamen victoriæ ejus ſtetit exercitus, cum, Dubravio XVI. Hiſt. Bohem. teſte, Tartaris cedentibus denuoque ſeſe armantibus ortum inter HENRICI alas clamorem: Occurrite, occurrite! (quod Polonis eſt: Zabiescze, Zabiescze,) Mieſco Dux Oppolienſis aliter, quaſi: Currite, currite! (quod Polonis eſt: biescze, biescze,) acciperet. Hinc terrore latius manante, Dux à ſuis deſertus, cum fortiſſimis cecidit: deſiderati ſunt eo prælio flos Nobilitatis Sileſiacæ, ex qua Stephanus III. de Wirben, Stephani ſenioris filius, cum filio Andrea, & XXXIV. ex Rothkirchiorum gente lineæ Pantheniæ.

§. 4. Occiſi corpus invenit & VRATISLAVIÆ (a) terræ mandavit ANNA conjux, Ottocari Regis Bohemiæ filia, fœcunda quatuor filiorum mater, quorum HENRICUS III. VRATISLAVIENSEM, Boleslaus II. Lignicenſem, & (b) Cunradus II. Glogovienſem Ducatum accepit, (c) Vladislaum vero egregiam caſtitatis & integritatis famam nactum ad Archi-Episcopatum Salisburgenſem fortuna provexit.

NOTÆ.

(a) In æde S. Jacobi (nunc Vincentii) quam an. 1240. exſtruxerat; ſed deeſt inſcriptio, effigies vero Ducis armati tumulo adſtat, Tartarum pedibus proculcans, dextra haſtam, ſiniſtra clypeum, aquila Sile-

Sileſiaca inſignem, tenens: Gladium curia urbis noſtræ ſervat, cui eadem avis eſt inſculpta. Præterea Ducis caput ſequenti anno in caſtro Pruſſiæ Bardewiz ſ. Sardewiz repertum fuiſſe Pohlius l. c. tradit; erravit vero cum ex Roſizii Chron. & numero Epiſcop. Vratislavienſ. MSto & Petri de Dusburg Chron. Pruſſiæ Part. III. c. 36. appareat, non Ducis, ſed B. Barbaræ virginis caput in vigilia ejusdem (uti credunt) fuiſſe inventum, (b) à quo Duces Saganenſes, Glogovienſes, Olsnenſes & Crosnenſes deſcendunt. (c) vitam ejus Mart. Hankius dedit de Sileſ. indigen. eruditis cap. VIII. plura Henelius in Breslographia Renovata MSta & in Sileſ. Togata MSta lib. I. no. 1. Obiit VRATISLAVIÆ an. 1270. ſed corpus Salzburgum translatum eſt.

CAPUT VI.

HENRICUS III. ET HENRICUS IV. DUCES WRATISLAVIENSES.

§. 1.

DEerant hoſtes externi, hinc diſcordia fratres agitabat, cum Boleslaus Calvus Lignicenſis, princeps gloriæ cupidus & bellicoſus, VRATISLAVIAM, quam patre occumbente ſuam fecerat, HENRICO fratri traderet, ſed pœnitentia facti ductus (a) tribus eam obſidionibus quanquam fruſtraneis repeteret, vicit tamen perverſum Boleslai animum benignitate HENRICUS, captumque non in carcere detinuit, ſed libertate donavit.

NOTÆ.

(a) An. 1248. 1249. & 1250. qua captus in fratris poteſtatem pervenit. Dlugoſſ. VII. ad an. 1250. Ab HENRICI quoque fratris ſui militibus captus, & in vincula apud Vratislavienſe caſtrum conjectus, jubente HENRICO fratre, & calamitatem ignominiamque

niamque fraternam non ſecus quam propriam piis abhorrente præcordiis, dimiſſus in Legniz ſe recepit, & contra fratres ſuos HENRICUM & Conradum machinari non deſtitit.

§. 2. Sopitis turbis his de amplificanda urbis dignitate cogitabat HENRICUS, quem ejus delicias & locupletatorem dixeris. (a) Allectis enim è Germania civibus, munimentis, privilegiis, (b) egregiis ædificiis & (c) jure Magdeburgico eam inſtruxit, ſed (d) an. 1266. vel febri maligna vel veneno extinctus eſt.

NOTÆ.

(a) Dato an. 1261. privilegio: Exteros omnes, qui ſedem hic fortunarum ſuarum figant, primo anno ab omni cenſu liberos eſſe. (b) an. 1253. templum S. Laurentii, nunc Eliſabethæ, ædificari cœptum. (c) an. 1261. quanquam Polonici juris veſtigia quædam ad Joannem usque Regem manſerint, qui an. 1337. totum abrogavit. (d) Nocte S. Andreæ: Sepultus eſt ad S. Claram; Epitaphium vero non amplius extat. Vid. Fabri Origin. Vratislavienſ. MSt. Dlugoſſ. VII. ad an. 1266. HENRICUS Dux propinquam ſibi ex diuturno languore & veneno ſentiens mortem adeſſe, fratre Wladislao, Salzburgenſi Archi-Epiſcopo, accito duplicem prolem, quam ex Juditha, filia Conradi Ducis Maſoviæ, prima conſorte, ſuſtulerat, videlicet Henricum filium & Hedwigim filiam, nondum pubertatis annos transgreſſos, & conſortem ſecundam, Saxon. Ducis filiam, quam prima abeunte ſuperduxerat, una cum Vratislavienſi Ducatu, obſecrans eorum geri curam commendat, omnibusque ſacramentis procuratus decedit, & in monaſterio S. Claræ ſepelitur, Nonis Decembr. abſumtus.

§. 3. Ex duplici matrimonio non niſi unus ſupererat HENRICUS cum ſorore, quorum tutelam frater Vladislaus, Archi-Epiſcopus Salisburienſis, ſuſcepit, optimeque geſſit, ſed eo defuncto, ex

præcipuis urbis civibus quidam curatores egerunt, magnam opum vim principi ſuo colligentes.

§. 4. Hic tandem perfecta nondum civitatis mœnia abſolvit, jus Magdeburgicum confirmavit, (a) Stapulæ indulſit, (b) aliisque privilegiis (c) ſubditos VRATISLAVIENSES ornavit, ſed in caſtro Jeltſch XII. Kal. Martii noctu an. 1277. à Boleslao Calvo Legnicenſi (d) captus, tot diſſidiorum inter (e) agnatos pertæſus, Dubravio teſte (f) paciſcendi cum Rege Bohemiæ fecit initium, annoque 1290. d. 23. Julii electus Poloniæ Princeps (g) obiit.

NOTÆ.

(a) Anno 1274. uti Pohlius in Annal. MStis: Cautum eo privilegio eſt: (ſunt verba ejus) omnem depoſitionem cujuslibet mercantium generis, quod vulgariter Niderlage nuncupatur, Vratislaviæ perpetualiter obſervari, ac ſpecialiter quoque penſam plumbi non alibi, quam ibidem, exerceri. Commendamus hic Codicem MStum egregium de jure Stapulæ Vratislavienſium, quem Bibliotheca noſtra Rhedigeriana ſervat, cujus titul. Georgii Schœnborneri à Schœnborn & Zieſendorff libera Viadri in Oceanum navigatio: cui non exigua Diplomatum & privilegiorum copia fidem facit. (b) Eſt ex eorum numero illud an. 1272. editum, quo prohibuit: ut nullum forum (ſunt verba privilegii) nullæ cameræ mercatorum, in quibus panni venduntur, vel inciduntur, nullæ inſtitæ, crami inſtitorum, nulli piſtores, nulla ſcamna, in quibus panes &c. venduntur, ad ſpatium unius milliaris à civitate Vratislavia: per circuitum tam ex iſta, quam ex altera parte Oderæ fluvii in præjudicium ejus conſtruantur. (c) De quibus in eodem privilegio: Habito ſuper eo maturo & ſano conſilio noſtrorum Baronum per dies aliquot, conſiderantes & animadvertentes, ipſorum utilitatem, incrementum & profectum in omnibus fore noſtrum, noſtrorumque ſucceſſorum. (d) Sed ope Primislai Bohemiæ Reg. liberatus, cui arcem urbemque Glocenſem Vratislavienſes præmium dabant, occiſo tamen Rege ab Henrico anno ſequ. receptam. (e) Quos in pagum Baritſch an. 1281. vocatos, ad damnum ſibi captivitate illatum, jam reſarciendum, captivos retinuit, Heſtricum nempe Lignicenſ. Conradum Glogov. & Primislaum Poloniæ Ducem Dlugoſſ. VII. (f) Cum ex conjuge Mechtilde, Ottonis Longi Marchionis Brandenb. filia, nullam ſobolem ſuſciperet, Ducatum Vratislavienſem Thomæ ſecundo, Epiſcopo (inter quem & ipſum graves antea lites interceſſerant, Dlugoſſo VII. ad an. 1284. teſte) dono obtulit, qui tamen, ne odia Ducum incurreret, munus recuſavit. Inde cum Ottocaro Bohemiæ Rege pactum iniit, ut, ſi prior is decederet, ipſe ei in bonis ſuccederet, ſin aliter caderet, ut Ottocarus (ſic etiam Wenceslaus dictus eſt) Glacenſe præterea territorium Henrico, quoad ſuperſtes eſſet, fruendum adderet, deinde Venceslaus ut in ſolidum hæres omnium bonorum fieret; Hæc Dubrav. XVIII. Hiſt. Bohem. Addit: Ab HENRICUS male in Venceslaum animatus, ut Vratislavia eum fraudaret, ſe ſuaque ſub Imperium RUDOLPHI CÆSARIS ſubjecit. (g) in templo S. Crucis, cujus ipſe conditor eſt, ſepultus, additis verſiculis:

Hen. quartus mille tria C. minus X. obit ille,
Egregiis Annis Sle. Cra. San. Dux nocte Joannis.

CAPUT VII.

HENRICUS V. ET HENRICUS VI. DUCES VRATISLAVIENSES.

§. 1.

NEc tamen (a) VVENCESLAUS BOH. REX, ſed (b) HENRICUS CRASSUS LIGNICENS. nobis V. DUCATU VRATISLAVIENSI potitus eſt, qui, cum cives urbis hujus Conradi Glogov. Ducis imperium aſpernarentur, conceſſa illis à majoribus pri-

privilegia egregio(c) Diplomate firmavit,(d) Olava urbem circumſcripſit, omnique ratione amicum ſe illi principem teſtatus eſt, dignum eſſe ratus (ſic ipſe confitetur) ut beneficia beneficiis recompenſemus.

NOTÆ.

(a) Cui RUDOLPHUS I. HABSP. Judithen filiam in matrimonium dederat. (b) Vitam ejus memoriæ optime Hankius prodidit de Sileſ. indigen. erudit. cap. IX. Erat liberalis & ingenio pollens Princeps, hic poëſin quoque exercuit; extat enim Germanic. verſuum volumen MStum, & carmina alia amatoria, lingua Germanica exarata. (c) An. 1290. Verba inter alia hæc ſunt: per fideles & chariſſimos cives noſtros Vratislavienſes poſt ſolum DEUM Ducatum & dominium ſumus conſecuti. (d) ad urbem forma & jucunditate exteris quoque commendandam. Franc. Faber in Origin. Vratisl. MStis ad an. 1291. addit: Tunc molam in urbe, quæ ſeptem rotis agitatur, exſtructam fuiſſe.

§. 2. Sed non conſedit ferox ingenium Conradi, donec HENRICUM, ad curandam valetudinem balneum forte ingreſſum, inſidiis (a) circumventum an. 1293. in carcerem abriperet, ex quo non niſi XXXM. (b) Marcarum pretio & magna terrarum ſuarum jactura fuit liberatus, ſed ex diuturna perturbatione ad aſpiciendam lucem revocatus, morbo proſtratus, ſuo magis, quam ſuorum tempore (c) occidit.

NOTÆ.

(a) Luticus Habdankius eques, HENRICO à conſiliis, Poceslai fil. quem homicidii reum ſupplicio Dux affecerat, auro à Conrado corruptus, cum armatis comitibus occurrit, Henricum nudum rapit,

pit, pallio tegit, in equum conjicit, ſecumque Glogoviam abducit, ubi in carcere nec erecto corpore ſtare, nec quieſcere decumbens poterat, ferarum inſtar occluſus. Sic menſes aliquot Princeps miſer exegit. Pohlius in Annal. MStis ad an. 1293. diem 9. Octobr. Dlugoſſus VII. ad an. 1293. (b) quo in ponte Glogovienſi Tzirnæ impoſito ſoluto territoriis quoque ceſſit, Namslavienſi, Berolſtadienſi, Cruciburgenſi, Bicinenſi, Cunſtadienſi, Roſenbergenſi, Haynovienſi, & Boleslavienſi: quibus Henelius: Olsnenſe: ſpeciatim addit. (c) An. 1296. ſepultus ad S. Claram ſub lapide, cujus hæc inſcriptio:

Anno Domini Milleſimo CCXCVI. obiit
Illuſtris Princeps Henricus quintus
Dux Sleſie Dns. Wrat. XXII. Februarii.

§. 3. Liberis minoribus, ex (a) quibus HENRICUS VI. DUX VRATISLAVIENSIS factus eſt, tutor (b) Boleslaus frater, Suidnicenſium Dux, (c) præmio dato conſtitutus eſt, cui defuncto in munere (d) Henricus de VVirbna Epiſcopus ſucceſſit, tandem ſui juris HENRICUS, qui (e) URBEM SILESIÆ CAPUT dixit, (f) Advocatiam hæreditariam illi aſſeruit, (g) Polonicam ex judiciis linguam proſcripſit, (h) Judæos ejecit, veteremque & novam civitatem conjunxit, cum ſe imparem (i) Boleslai fratris injuriis cognoſceret, Ducatum BOEMIÆ Regno intulit, ſalvo tamen ad dies vitæ dominio, acceptoque Glocenſis territorii uſufructu, cujus negotii an. 1327. confecti (k) Diploma teſtimonium edit.

NOTÆ.

(a) Fratrum tres erant: HENRICUS noſter, Boleslaus III. Bregen-

sis & Vladislaus Legnicenſ. Dux. (b) Vratislavienſium hoſtis, qui urbem obſidionis metu continuit. (c) Accepit urbes: Javoriam, Strigoviam, Francoſteinium, Reichenbachium & Zobtenam arcem. Dlugoſſ. VIII. ad an. 1296. (d) Vitam ejus apud Mart. Hankium de Sileſ. indig. eruditis cap. 12. invenies. Erat induſtrius, ſed liberalis, hinc ære alieno gravis obiit an. 1319. d. 23. Septembr. cujus monumentum in Vratislavienſ. S. Joannis Cathedrali templo extat. (e) In privilegio an. 1311. (f) Quæ antea in privatorum manibus fuerat, nunc emtionis titulo à Jacob. Schertelzanio ad urbem ejusque dominium tranſiit, quanquam nondum pleno jure; an. enim 1345. Hänſel de Molensdorff, id quod ſibi reliquum erat, urbi tradidit. Quædam de ea Caſp. Schifördegherus lib. I. tract. XXX. quæſt. V. & lib. III. tract. XXX. quæſt. I. de jure & jurisdictione Sileſiorum. (g) Privilegii anno 1322. editi verba hæc ſunt: Etiam ex fidelium noſtrorum multiplici querela advertentes multos in Zcuda & jure Pononicali pro debitis, expenſis & ſumtibus minus debite fatigari, prædictæ civitati noſtræ VRATISLAVIENSI duximus erogandum, quod nullus pro debitis in jure Ligwa & Zcuda Polonicali quæſtionem movere aut reſpondere de cætero alteri debeat, quoquo modo.) Quid vero ſit das Zauden-Recht celeberr. JCrus & Vratislav. Reipubl. à Secretis Seidelius noſter de proceſſu jur. Sileſ. lib. I. §. 2. optime expoſuit. (h) Synagoga eorum an. 1319. deſtructa. (i) Qui armis ipſum urbemque graviter vexabat, ita ut an. 1327. ex templo Eliſabethano Joannem à Wellendorff ſenatorem (Henelio de Mollersdorff) armata manu raperet, cumque vivum abducere non poſſet, in foro trucidaret. Dlugoſſ. IX. ad an. 1320. Pohlius in Annal. MStis ad an. 1327. (k) Diploma integrum, cum Lemmata non capiant, appendix dabit. add. Dlugoſſ. IX. ad an. 1322. qui fuſius de Ducatu Vratislavienſi Regno Bohemiæ illato egit.

§. 4. Mortuo tandem absque prole maſcula (a) HENRICO an. MCCCXXXV. DUCATUM VRATISLAVIENSEM JOANNES BOEMIÆ Rex occupavit, unde evenit, ut urbs potentia, auctoritate & opibus

bus creſceret, nec ſine ſingulari occultaque fatorum poteſtate accidit, ut, quod alii Sileſiæ Duces non adeo egregium ſub intium facinus eſſe crederent, paucis abhinc annis (b) plures committerent, & BOEMIÆ Regno terras ſuas adjungere mallent.

NOTÆ.

(a) D. 24. Novembr. ad S. Claram ſepultus, addita inſcr.
M. ter C. X ter V noc Kath mors rapit acer
Hen. principatum ſextum Wrazle Dominatum
Contulit extremis regnantibus iſte Bohemis.

(b) Quos Sileſiogr. Renov. cap. IX. §. 23. recenſet: ſunt vero Lignicenſis, Olsnicenſis, Teſchinenſis, Oswencimenſis, Falcobergenſis, Oppelienſis & Koslenſis.

SECTIO II.

DUCATUS VRATISLAVIENSIS SUB BOEMIÆ REGIBUS EX DIVERSIS FAMILIIS.

§. 1.

NOva DUCATUI VRATISLAVIENSI ætas exoritur, cum BOEMIÆ Regibus hunc, uti alios Principatus, Caſimirus POL. REX procerum Regni conſenſu an. MCCCXXXIX. (a) concederet, quam uti vocant (b) transactionem Goldaſtus habet.

NOTÆ.

(a) Supererat Ducibus Vratislavienſ. in Cracovienſem Ducatum, aliasque Polonorum terras, Siradienſem nempe & Lancicienſem, jus, cum Vladislai II. exulis filii, bonis parentis poſtliminii jure & autoritate Friderici Barbaroſſæ reſtituti, harum jacturam dura temporum neceſſitate paterentur, & Richſa ſ. Eliſabeth, Wenceslao Bohe-

Bohemiæ Regi postea nupta, insignem Poloniæ partem in dotem afferret: Quare se etiam Poloniæ Regem Joannes dixit, uti ex pluribus documentis & privilegiis, vel Silesiæ saltem concessis, constat; hinc Polono Silesia cedente, Joannes illos Ducatus dimisit. vid. Schurzfleisch. Disp. XIX. quæ Lemmata Hist. ad Siles. pertinentia edit §. 23. Addit Francisc. Faber in Originib. Vratisl. MStis ad an. 1335. Casimirus Polon. Rex Johanni Bohemiæ Regi pro titulo & jure in Poloniam solvit 20000. marcas grossorum. (b) quam quibus litteris Casimirus ratihabuerit, appendix dabit.

§. 2. JOANNE (a) Lucemburgensi, qui urbem ligneam igne consumtam (b) lapideam reddidit, (c) Viadrum ejus gratia dilatari jussit, (d) cives in aliena fora vocatos ire prohibuit, & (e) universæ provinciæ libertatem contra Polonos defendit, tandem ad (f) Cressiacum in prœlio occumbente, CAROLUS IV. solium conscendit, Germanorum Imperio ob Auream Bullam venerandus. Hic VRATISLAVIAM jure (g) monetæ, (h) nundinis & (i) pomœriis additis auxit, (k) commerciorum saluti omni modo prospexit, ex (l) senatu sæpius an valerent amicis litteris quæsivit, urbemque sibi patrique caram fuisse egregiis monumentis affirmavit.

NOTÆ.

(a) In cujus verba una omnium lætitia an. 1337. Vratislaviæ juratum est, & solennia Silesiorum comitia habita. (b) incendium an. 1341. passa, elegantiorem jam accepit formam, concessit Rex an. 1345. (sunt verba privilegii) potestatem, universos lapides de Cimiterio Judæorum, qui super terram & sub terra poterunt inveniri, effodiendi, auferendi ac devehendi, inque usus, pro muri repa-

reparatione necessarios ubicunque juxta prudentiam seu industriam consulum opus fuerit convertendi, non obstante Judæorum sive alterius contradicendi repugnantia. Hinc fundamenta turris, quæ curiam exornat, his lapidibus constant, totque per urbem sparsi litteris Hebraicis notati. (c) vid. Schœnborneri libera Viadri in Oceanum navigatio MSta: Privilegio an. 1337. edito cautum est: pro commodiori in flumine navigatione universa obstacula, vulgo Wehr, ubicunque essent, removeri & aquæ cursum usque ad amplitudinem sedecim ulnarum & unius palmæ infra Bregam & Crosnam dilatari debere. Confirmavit hoc an. 1355. filius CAROLUS. (d) Verba in Confirmat: Privilegiorum an. 1327. confecta verba hæc sunt: Nolumus quod aliquis civium Vratislaviensium extra civitatis Vratislav. judicium pro ullis debitis, hæreditatibus, aut causis aliis quibuscunque alibi responsurus trahatur. (e) Cum contra transactionem Casimirus Silesiam invaderet, Joannes cum exercitu per Vratislaviam in Poloniam Minorem profectus est, ad pacem suis restituendam. Dlugoss. IX. ad an. 1345. (f) Prœlium tradit Albert. Argentinens. p. 136. & ex recentioribus Abregé chronologique de l' Histoire de France par Mezeray Tom. III. p. m. 183. Carolus ipse vulneratus ægre se ad suos recepit. (g) ad amussim legum numariarum Pragensium cudendæ an. 1360 & 1362. (h) cum JOANNES pater an. 1337. præter nundinas, quas in festo B. Joannis Baptistæ celebrare consueverant, alias quoque instituendas liberaliter concesserit, nunc quoque die Elizabethis an. 1374. inchoari annuale forum filius jussit, quo per octiduum omnibus vendendi, emendi, ingrediendi civitatem, & exeundi libertas data & securitas promissa: Ipse Regia pompa urbem ingressus jam an. 1348. Comitiis interfuerat, quibus de defendenda contra Polonos Provincia cogitatum est. (i) Olam fl. urbem antea ambientem, illi adscripsit, & insigne illud Dorotheæ templum trans illum an. 1350. exstruxit. (k) Hinc datum Pragæ 1352. Privilegium: de mercatoribus, de quibuscunque terris vel Ducatibus, dummodo bonæ famæ sint, inter concives recipiendis: (l) Pohlio in Annal. MStis ad an. 1353. teste. In senatu octo consulares esse jussit an. 1349. & an. 1356. confirmatis privilegiis auream Bullam appendit, quam filio rupto an. 1529. FERDINANDUS I. restituit.

§. 3. Sub filio (a) VVENCESLAO graves illæ ſenatum inter populumque (b) lites ortæ, quas (c) terræ motus præceſſerat, cumque (d) Henricus de Duba, à Rege miſſus, haud componere valeret, ſub fratre SIGISMUNDO prorupit rabies, (e) expugnabat curiam, effractisque foribus ſenatores, qui non fuga ſibi conſuluerant, arreptos, vel ex feneſtra dedit præcipites, vel in foro trucidavit, privilegia, imo rempublicam, dilaceravit, neque dubito, hoc nefaſto die illud Maronis repetendum fuiſſe:

magno in populo cum ſæpe coorta eſt,
Seditio, ſævitque animis ignobile vulgus;
Ecce faces & ſaxa volant, furor arma miniſtrat!

Vindictam tandem ſumſit Imperator, urbemque (f) an. 1420. ingreſſus, ſenatui formam dignitatemque, urbi privilegia reſtituit, opificum vero tribunos quosdam ſupplicio affecit, plures exilio damnavit, cæteris (g) novas leges præſcripſit.

NOTÆ.

(a) An. 1361. menſe Martio ex Anna, Rudolphi Palatini filia, natus Vratislaviæ bina vice an. 1381. & an. 1404. Comitiis interfuit. (b) Cauſas vide apud Pohlium in Annal. MStis ad an. 1390. & ſeqq. quasdam ex privilegio an. 1395. edito, quo liberum panis & carnis forum conceſſit Imperator, & de turbis exortis conqueritur, cognoſcas. Extat illud in Sanct. Pragmat. Sileſ. Tom. III. (c) An. 1372. rarior alias in his oris. (d) Sic in dicto Privil. audit: der Edle Heinrich von der Duba, unſer Hoffmeiſter und Hauptmann zu Breslaw. (e) In æde S. Clementis nunc diruta, habita fuit turbulenta concio, cumque tempore matutino hora tum duodecima an. 1418. die Arnolphi 18. Julii bubulcus caneret, plebs inſana curiam advolavit, illi vim intulit, pulſoque tintinnabulo (quod die cinerum, ſi vacat in ſenatu locus, electionem peractam eſſe populo nunciat) urbem omnem excitavit: Hinc ſenatores territos rapit, Diplomata diſcerpit, numos, qui ex reditibus aderant, profundit, peſſimos quosque captivorum carcere liberat. Qui fuga ſalutem ſenatores invenere, fuerunt: Stelinius, Merbodus, & Sachwizius: Meyerlinum latentem ex feneſtra ſumma furor dejecit, Zachium gravi vulnere læſit; Nicol. vero Feiſtlingius, Sachſius, Henr. Schmidius, Freibergius conſulares faſces tenens, Stillius & Nicol. Neumarck in foro capite multati. Extat inſaniæ tantæ monumentum janua ædiculæ S. Materni in Cœmiterio Eliſabethano, quæ tunc curiæ fuerat. (f) Nomina proſcriptorum, ſupplicium XXVII. reorum, qui an. 1420. d. 4. Martii Cæſare præſente in arce Regia carnificis gladio occubuere, Pohlius ad hunc annum expoſuit. (g) Vocatur die neue Handwercks-Ordnung.

§. 4. Hujus tantus in urbem amor, ut (a) alteram ſedem, regni caput, virtutum exemplar, quod aliæ omnes intueantur, imo ſplendidum inter cæteras civitates jubar, appellaret, (b) legatos ejus ad Concilium Conſtantienſe benigne exciperet, (c) rubri ſigilli facultatem ſenatui concederet, imo (d) eum ab omni cenſu immunem redderet; ſed (e) Huſſitarum inſultus ea tempeſtate urbi graves erant: Filia unica Eliſabetha (f) ALBERTO II. ARCHI-DUCI AUSTRIÆ nupſit, quem idem annus Romanorum Imperatorem & Boëmiæ Pannoniæque Regem vidit. Hic an. 1438. menſ. Novembr. urbem ſua præſentia dignatus, (g) Ducatus præfectu-

fecturam ad an. 1455. usque ſenatui conceſſit, & (h) novas illas à SIGISMUNDO opificibus injunctas leges confirmavit; ſed in ipſo ætatis flore Princeps optimus nimio peponum uſu (i) extinguebatur, relicta conjuge gravida, quæ LADISLAUM POSTHUMUM enixa eſt.

NOTÆ.

(a) Sunt verba privilegii an. 1420. editi, ex quo plura Henelius in Breslographia & Pohlius in Annalib. MSt. ad an. 1433. (b) Qui erant Nicol. Borsniz, eques auratus, Doctores duo & civium tres, quorum Anton. Hornigk ſingulari Cæſaris gratia nobilium numero adjungi meruit. (c) Dignitatis documento, dato Baſileæ privilegio an. 1433. (d) die Rathmanne ſollen Geſchoſs frey ſeyn, dieweil ſie im Rath ſitzen: Privilegium Poſonii degens indulſit Imperator an. 1422. (e) vid. Stenum Bregenſem: Percurſabant ſuburbia, & ad portam usque S. Nicolai appropinquabant, quare inito cum Niſſenſibus fœdere Ducatum Monſterbergenſem occupabant Vratiſlavienſes. Curæus in Annalibus ad an. 1429. Vratiſlaviam & Suidniciam ſolas pro patria tunc in excubiis fuiſſe tradit. (f) RUDOLPHI I. atnepoti, Principi potenti, nobili, virtute præſtanti ac eruditorum præſidio. (g) Vide de Ducatus præfectura ſive Capitaneatu Sect. IV. §. 7. (h) An. 1439. Verba ſunt: Wir haben ſolche Statute, Ordnungen und Geſeze und unſers Herrens und Vaters Käyſer Sigismunds Brieff darüber gegeben, gelobet, beſtättiget, verneuert und confirmiret, loben, beſtättigen, verneuern und confirmiren die in Krafft dis Brieffes und Rhömiſcher und Böhmiſcher Königlicher Macht &c. gleich als ob ſie in dieſem Brieffe von Wort zu Wort klärlich geſchrieben und begrieffen weren: (i) An. 1439. VI. Kal. Novembr. in villa non procul à Strigonia, quæ Longa dicitur, quanquam non deſint, qui veneno interiiſſe credant, uti Königshoven in Chronico & M. Chronicum Belgicum.

§. 5. Huic in gremio (a) matris coronam impoſuerunt Pannones, ſed bello (b) inteſtino involu-

volutum fugientemque FRIDERICUS IMP. recepit, qui Regem juvenem educare voluit, armis tamen Corvini vexatus (c) Regno reddidit; hinc VRATISLAVIAM an. MCCCCLIV. ingreſſus (d) Comitiis interfuit, Capitaneum urbi (e) Roſenbergium dedit, (f) biennio poſt ad ſenatum CPolin à Turcis expugnatam eſſe non ſine affectu retulit, jamque in Galliam oratores ad (g) ſponſam ſibi petendam miſerat, cum (h) repentina morte Rex XVII. annorum juvenis caderet.

NOTÆ.

(a) Quadrimeſtri per Strigonienſem Epiſcopum an. 1440. (b) Cum VLADISLAO Polon. Rege, quem Procerum quidam ante nativitatem ipſius Regem ſalutaverant, veram tamen coronam, Regni Palladium ſecum in Auſtriam fugiens aſportabat, quod qua ratione factum Gerhard. de Roo V. p. 168. tradit. (c) Cæſo an. 1442. ad Varnam VLADISLAO, una eum omnium voce Regem in regnum invitabant Pannones, ſed neque coronam neque Regem dedit Fridericus: hunc nondum, quod invidiam Bohemis crearet, ſi ad Hungaros educandus deduceretur; eſſe minorem tempus quo quæſtui respublica haberi poſſit opportunum, nec indigere coronatione LADISLAUM Regem natum non electum, imo Corvinum interea ad regni gubernacula ſedere. Sed indignabantur Hungari cum Corvino; hinc vaſtatæ Cæſaris terræ, tantæque turbæ excitatæ, ut Neoſtadii obſidione premeretur FRIDRICUS, quare dimiſit LADISLAUM HUNG. BOEMIÆque Regem ubique optimo apparatu exceptum, qui Corvini inſignia Leone coronato auxit: Sed coronam ſacram anno demum 1463. recipiebant Pannones, fœdere Mathiam inter & Fridericum inito: vid. Leibnitzii Codex Diplom. P. I. (d) Ottone & Wilhelmo Bavariæ Ducibus, Albertoque & Friderico Marchionibus Brandenburgenſibus Regem comitantibus, comparuit quoque Poloniæ legatus Joannes Archi-Epiſcopus Gnesnenſis. vid.

Sileſiogr. Renovat. Cap. XII. p. 1218. (e) Jodoci Epiſcopi Vratislavienſis fratrem, Suidnicenſ. & Javorienſ. Ducatuum Capitaneum, qui biennio poſt Viennæ obiit. (f) die 25. Julli. Hinc collecta & cruce ſignata manus per portam Suidnicenſem urbe exiit, quam ante decennium Capiſtranus quoque inviſerat vide Roſizium in Chron. & numero Epiſcop. Vratislav. (g) Magdalenam, Regis Caroli VII. filiam, inſignis formæ, ejusdemque cum LADISLAO ætatis. Mezeray Tom. III. p. m. 520. Magdalene la cinquieme des filles apres la mort de Ladislas Roy de Hongrie, auquel elle avoit eté promiſe, fut donnée à Gaſton Prince de Viane, fils de Gaſton Comte de Foix: lequel du coté de ſa mere Eleonore aſpiroit à la couronne de Navarre. (h) vid. Bonfinius & Dubravius. Obiit an. MCCCCLVIII. d. 23. Nov. intra triginta & ſex horas, poſtquam ægrotare cœpit, Ænea Sylvio Hiſt. Bohem. teſte. Titulo ſequ. uſus eſt: Wir Laslaw von Gottes Genaden zu Hungern, zu Bœheimb, Dalmatien, Croatien &c. &c. Konig, Herzog zu Oeſterreich, zu Luzemburg, Marggrave zu Merheren und Lauſiz &c. &c.

§. 6. Ingens humanæ fragilitatis exemplum ediderat, jam Rege vix ſublato variæ rerum vices, cum VRATISLAVIENSIS DUCATUS non (a) GEORGIUM PODIEBRADIUM BOEMIÆ, ſed MATHIAM CORVINUM PANNONIÆ REGEM Dominum ſalutaret, (b) cujus adventus eam inſigni privilegiorum (c) munificentia adornavit. (d) Præfectum (ſenatu ultro præfecturam cedente) Sdenconem Baronem Sternbergenſem creabat, (e) urbemque obſidione cinctam contra Bohemos Polonosque egregie defendebat; ſed (f) criminationibus quibusdam effectum eſt, ut infenſior urbi Rex ex Pannonia (in quam abierat) ad eam reformandam re-

rediret, in qua tamen itineris feſtinatione mors eum inopina (g) Viennæ oppreſſit: qua tempeſtate urbis Ducatusque Capitaneus (h) Henricus à Dömnigk inſidiarum patriæ ſtructarum accuſatus, cum ſe ab iis alienum fuiſſe edere haud poſſet, gladio in foro percuſſus eſt.

NOTÆ.

(a) Antiqua Comitum de Borniz & Nida ſtirpe (cujus Genealogia MSta in arce OLSNENSI extat) oriundus, ex Comite Glocenſi in Boëmiæ Regem electus an. 1458. de cujus fatis Balbinus Miſc. Decad. I. lib. VII. Sect IV. & Dn. de Czechorod Mars Moravicus. Coronatæ gemmam ex elegantiſſimis unam corona decidiſſe, idque Vratislaviæ jacturam ſignificaſſe, narrant. Miſſi quidem à S. P. Q. Wratislavienſi an. 1460. Pragam legati, qui tempus ad deliberandum poſtulabant, quod & Pontifice Romano adjuvante ex voto ceſſit negotium, triennio tamen vix emenſo res ad bellum rediit, urbe interim altioribus munimentis cincta. Quot inde Sileſiæ Principes ad eam expugnandam conjuraverint, qui exercitus undique conſcripti, quæ Ducum clades ſecuta fuſius exponere animus non eſt, cum id in ſua incendiorum hiſtoria jam Pohlius egerit. Exauctorato tandem per Pontificem Rege PODIEBRADIO, litterisque MATHIÆ Regis Poſonii d. 8. April. an. 1468. ad ſenatum datis, omnium animi in Pannoniæ Regem verſi. (b) Is an. 1469. Majo menſe accidit, ubi exſtructo prælto ſolio eo, quo in forum ſalinum ex circo maximo aditus patet, loco Rex ab omnibus ſalutatus eſt: cum jam Olomucii ſe BOEMIÆ Regem & Moraviæ Marchionem dixiſſet, quibus turbis demum GEORGIUS ſuperatus anno ſequ. obiit. Gladium hujus SERENISSIMUS DUX OLSNENSIS habet, cujus capulo Maronis illud inſculptum eſt: Diſcite juſtitiam moniti & non temnere divos. (c) Referri meretur, Regem ipſum (convocato per Archi-Epiſcopum Strigonienſem & Epiſcopum Agrienſem in maximum circum ſenatu & populo) oratione vere Regia ſenatus autoritatem contra tot plebis inſultus vindicaſſe, ex hac cuivis ſua agenda eſſe, omnibus vero obſequii gloriam manere. Præterea an. 1481. Nun-

nundinas novas in festo Exaltationis Crucis celebrari jussit, & an. 1489. concessit: ut si opus esset munimentis suis fundos sæculares pariter ac ecclesiasticos urbs adscribat. (d) sed an. 1471. Rex senatui præfecturam reddidit. (e) Mortuo PODIEBRADIO VLADISLAUS Pol. Princeps CASIMIRI filius in Bohemiæ Regem electus, quo Regno suo pulcerrimam urbem assereret, ope patris exercitum 80000. conscripserat, cum quo in Silesiam an. 1474. profecti sunt, VRATISLAVIAM, expugnaturi. Advolabat in auxilium MATHIAS, cujus virtus omnibus cognita erat ac perspecta, inque munitissimum S. Vincentii cœnobium ceu propugnaculum quoddam se contulit, & hostes ingentia damna passos (quippe frigore, fame & peste laborabant) eo adegit, ut de successu desperantes pacem peterent. Hinc ad vicum Mochbor fere in urbis conspectu d. 16. Novembr. trium Regum conventus, & pax sancita. Singularia habet Pohlius in Annalibus MStis ad an. 1471. & seqq. Addunt omnes: urbem adeo hostes contemtui habuisse, ut toto obsidionis tempore neque interdiu nec noctu portas clauderet, Rege suo confisa. (f) Quod litteræ Regis ad Georgium Steinium Consil. intimum (qui, ut una totius Silesiæ voce constat, omnibus gravis erat) testantur, Posonii feria proxima post festum Sanctæ individuæ Trinitatis anno Domini MCCCCLXXXII. exaratæ; Integræ extant in Francisc. Fabri Origin. Vratislav. MStis. (g) Apoplexia tactus obiit, nec ex Catharina PODIEBRADII legitima, nec ex Beatrice Ferdinandi Neapolitani Notha filia (à qua sibi desponsata dona transmissa an. 1475. d. 2. Febr. in templo Elisabethano acceperat) prolem habens Rex fortitudine nulli secundus. (h) Percepta Regis morte sibi conscius, ut senatu carere possit, petiit, quid inde actum, quare accusatus, quid responderit apud Pohlium in Annal. MStis ad an. 1490. legi meretur. Mortem die Martis post festum Petri & Pauli haud facto ac demisso animo excepit & ad ædem Magdalenæam conditus est. Henelius in Silef. Togata MSta II. no. 2. vitam ejus ita inchoat: Clari quidem nominis magnæque dignitatis ac fortunæ vir, cæterum ambiguæ & incertæ famæ.

§. 7. (a) VLADISLAI demum Regis obsequium MATHIA defuncto subiit urbs Ducatusque, sub quo

quo summas opes (b) commerciorum amplitudine VRATISLAVIA collegit, (c) SILESIA suum palladium accepit, (d) Transactio Colowratina edita est, urbique (e) privilegium Academiam erigendi concessum: LUDOVICO filio, patre adhuc vivente, an. 1511. (f) Urbem intranti universæ Provinciæ Ordines fidem jurabant, cujus Imperium sacra Lutheri ope in Germania imo & in urbe hac reformata attingunt: an. 1512. (g) Urbs Ducem Monsterbergensem hostem experiebatur, Regem vero fortissimum an. 1526. cæso ad (h) Mohazium à Turcis exercitu, cum fuga salutem quæreret, paludibus submersum amisit, hinc ob ingruentium barbarorum metum (i) S. Vincentii cœnobium munitissimum, extra portas situm, ne, si hostis id occuparet, VRATISLAVIA inde quid detrimenti capiat, fuit destructum.

NOTÆ.

(a) CASIMIRO IV. POL. REGI ex Elisabetha ALBERTI II. Imp. filia an. 1456. natus, ob matrem Boëmiæ Ungariæque Rex. Transegit cum eo Alba Regali aliisque urbibus jam captis, Maximilianus I. an. 1491. (Gerhard de Roo X. p. 520.) ut restitutis omnibus Austriæ locis, & solutis centum florenorum millibus pro belli sumtibus, coronam Hungaricam retineat, servato tamen MAXIMILIANO titulo & successione Regni. Adde Sambucum in appendice ad Bonfin. & Balbinum. (b) Vigebat tum privilegium emporii Vratislavienf. cujus à VLADISLAO an. 1511. renovati summa erat: ne Poloni, Germanique Vratislaviam præterirent, sed merces suas in urbe deponere ac venundare cogerentur. Add. Schœnborneri libera Viadri in Oceanum navigatio MSta.

Sed quadriennio post in celebri illo Hungariæ, Poloniæ, Boëmiæque Regum conventu Viennæ habito (quo ad futuram Austriacæ domus magnitudinem fundamenta à Maximiliano I. jacta) abolitis emporii Vratislavienſ. privilegiis in priſtinum ſtatum gentium illarum commercia reſtituta ſunt. Fuſius omnia tradit Curæus in Annalibus ad an. 1511. (c) Conſtitutionem hanc vom Ober- und FürſtenRecht an. 1498. Rex edidit, quæ Palladium & dictatura Sileſiæ, imo das gemeine LandesPrivilegium vocatur, & integra in Tom. I. Sanct. Pragmatic. p. 34. in Sileſiogr. edit. Francof. & Schikfuſio extat. Agit illa de præfecto Sileſiæ ex Principibus Sileſiæ eligendo, de ſuprema curia, de Homagio Regi Vratislaviæ ferendo, de jure telonii, aliisque, quibus Provinciæ ſalus conſtat, capitibus. (d) ab Alberto de Colowrat, ſupremo Regni Boëmiæ Cancellario, & Regio ad hunc actum legato an. 1504. Vratislaviæ die poſt feſtum Purificat. Mariæ inter Eccleſiaſtici ordinis homines & Principes atque Ordines Sileſiæ facta, & à Rege confirmata: qua de Epiſcopo, non niſi ex Sileſia aut in corporatis (uti loquuntur) Boëmiæ provinciis eligendo, & jure Eccleſiaſticorum cautum eſt: addidit integram Sileſiogr. ſuæ Henelius. (e) Diploma Regis Budæ an. 1505. d. 20. Julii datum eſt, quo pro alimentis & ſalariis Profeſſorum proventus atque reditus ſacrarum dignitatum ſive Cononicatuum Eccleſiæ S. Crucis deputavit, jus vero patronatus Regium ſenatui dedit; cur ſucceſſus non habuerit egregium negotium vid. Curæum in Annalib. ad an. 1505. & Sect. IV. §. 11. (f) accidit in Comitiis his, ut Hungari de Sileſia ſibi afferenda cogitarent, ob ſummam CCCCM. aureorum, quæ ab an. 1478. illis debebatur, cum MATHIAS contra VLADISLAUM ſibi Provinciam aſſereret; verum Sileſia LUDOVICO verba dabat absque ullo terrarum ſ. Regnorum reſpectu. vid. Sileſiogr. Ren. cap. XII. p. 1221. (g) Victorini filius Bartholomæus, turbidi ingenii Princeps, dum d. 14. Octobr. urbis agros ureret, ab armata Vratislavienſium manu ſuperatur, & in fugam conjicitur, duo victoribus ſigna relinquens: Triennio vix emenſo idem Danubium tranſiturus in flumine periit. (h) Cruentiſſimum Regno Hungariæ diem, ſiniſtraque, quæ cladem præceſſerant, omina Leunclavius, Steph. Brodericus, Nicol. Iſthuanſius, Soiterus, Jovius aliique tradunt. Clariſſ. Schurzfleiſch. Diſp. XIII. de

de ſuperioribus Ungariæ converſionibus hæc p. 22. Temeritas fuit, nondum ſubmiſſis ex Tranſylvania, Slavonia, Croatia, Boëmia auxiliis, cunctas Regni vires periculo objicere, prœliumque committere, quod finiat libertatem, ſi clades accipiatur; Rex domi inops ac miſer, ac foris incerta ſubſidia exſpectans, nec militiæ aſſuetus, & copiarum robore & numero inferior, in tanta rerum Ungaricarum confuſione non tempeſtive reſiſtebat. Genium inſtantem cladem nunciaſſe Leunclavius autor eſt. Prœlium ipſum unius & dimidiæ horæ ſpatio confectum, & eques Sileſius de Czettriz Regem interire vidit, ſed ſalvum præſtare non potuit: hoc tamen duce corpus inde in paludibus inventum eſt. (i) Deſcriptum Stenus Bregenſis dabit. Petrus id Comes ex Dania profugus an. 1103. exſtruxerat, primumque Ordini Benedictino, inde Præmonſtratenſium addixit, cujus vitam ex tenebris quaſi revocatam, egregieque reſtitutam proxime Baronius Vratisl. J. U. D. dabit. An. 1149. amplificatum fuiſſe ſcribunt Annales.

SECTIO III.

DUCATUS VVRATISLAVIENSIS SUB BOHEMIÆ REGIBUS, AUGUSTA AUSTRIACA STIRPE ORIUNDIS.

CAPUT I.

FERDINANDUS I. MAXIMILIANUS II. RUDOLPHUS II. MATHIAS.

§. 1.

DIvinitus tandem in DUCATU VVRATISLAVIENSI conſtituta GENS eſt, cujus virtutem & fidem orbis terrarum experitur, AUSTRIACA, ex qua FERDINANDUS I. bellicis laudibus abundans, (a) Boëmiæ Ungariæque Rex, Infans

Hiſpaniarum, ARCHI-DUX AUSTRIÆ Urbem hanc adeo in deliciis habuit, ut (b) majorem ambitu, ſplendore parem VIENNÆ judicaret, ter ſua præſentia nobilitaret, nec moriturus (c) ejus memoriam ſeponeret. Cum prima vice an. 1527. Calend. Maji eam intraret, obvius (d) Jacobus Epiſcopus & Achatius (e) Haunoldus urbis Ducatusque præfectus verba fecerunt, Venetorum quoque legati aderant, hinc convocatis Provinciæ Ordinibus de auxiliis contra Turcas conſcribendis cogitatum eſt, & Sileſia (cui de (f) ſecuritate publica proſpexit) à (g) Pannonia penitus liberata. Triennio poſt fratris votis CAROLUS V. IMP. ſatisfecit, inſignia (h) WRATISLAVIÆ egregia munificentia auxit, & autoritatem ſenatus (i) eodem privilegio prorogavit. An. MDXLVI. redux in urbem FERDINANDUS Sileſios (k) inter & Bohemos lites exortas ex illorum votis compoſuit, vix abſoluto decennio CAROLO fratri, Imperio ſeſe abdicanti, ſucceſſit, & filio MAXIMILIANO II. an. 1562. Pragæ Bohemorum, inde & Francofurti Romanorum Rege coronato. (l) prudentia, juſtitia, liberalitate, manſuetudine, aſſiduitate, & vigilantia nulli ſecundus VIENNÆ (m) biennio poſt obiit.

NOTÆ.

(a) Ob ANNAM LUDOVICI prœlio occumbentis ſororem, quam duxerat: Joannes quidem Scepuſius, Transſylvanorum Princeps, (cujus

(cujus perfidia, uti Soiterus I. belli Pann. docet, & ad oculum Schurzfleiſch. Diſputat. hiſtor. XIII. commonſtrat, juvenis Rex perierat) contra FERDINANDUM vix quarta regni parte conſentiente electus, regnum in Solymanni fidem clientelamque dederat, ſed egregie defendit Pannoniam, Turcas victor ab obſidione Vindobonenſi repulit, ſolusque & verus Ungariæ Rex ubique obtinuit FERDINANDUS. (b) Dum Viennam & Vratislaviam animi oblectandi cauſa metiendas curavit, triginta ulnis tam in longitudine quam latitudine ab hac illam ſuperari deprehendit. (c) Pohlio in Annal. MStis ad an. 1567. teſte ad Cratonem à Crafftheim archiatrum, Vratislavienſem, jam morti proximus dixit: Elegans & jucunda urbs Vratislavia eſt, ipſam incolasque ſingulari amore proſequor. Addit idem autor: quæſiviſſe ſæpius ex adſtantibus FERDINANDUM: an Vratislaviæ fuiſſent? ſique negarent: itaque nullam urbem forma inſignem vidiſſis? reſpondiſſe. (d) Nicol. filius nobilis Sileſius de Salza XXXVI. in ordine Epiſcopus, qui, cum adhuc inter Politicos eſſet, in electione CAROLI V. pro LUDOVICO minorenni comparuit, Ordinum Regni nomine. add. vitam ejus ex Tom II. Sileſiogr. Renov. p. 133. (e) Ex gente de patria optime merita (an. vero 1711. extincta) oriundus, eques auratus, turmam trecentorum equitum, veſtibus cærulei candidique coloris inſignium, ducens. Vitam Henelii Sileſ. Togata MSta II. habet. (f) Hinc Königs FERDINANDI I. LandFriede: XXII. Articulis conſtans, an. 1528. edita conſtitutio, quam integram Dn. de Weingarten in Faſcicul. diverſ. jurium II. pag. 13. & ſeqq. exhibuit. (g) Ob ſummam CCCCM. aureorum Hungaricorum, Pannonibus ab anno 1478. debitam, jam ſub Vladislao (ut Sect. antec. §. 7. in Notis litt. f. ſcripſi) de Sileſia ſibi aſſerenda cogitabant: Nunc vero hoc CIↃ IↃ XXX. anno die X. Maji litteras Reverſales dabat idem Pannoniæ ac Boëmiæ Rex FERDINANDUS, nullum omnino hanc ob cauſam Hungaris in Sileſiam jus eſſe, ſed, ſi quid iniquis votis poſcerent, Regem Boëmiæ Sileſiis opem laturum eſſe. Integras illas exhibet Sileſ. Renov. cap. XII. p. 1222. (h) Auguſtæ Vindelicorum an. 1530. decimo Julii privilegium editum eſt, quod in appendice integrum videbis. (i) Sed ad præfecturam Ducatus verba pertinent, dum omnibus ac ſingulis juribus dignitatibusque in ſuſcipiendis ac

subinfeudandis Vasallis perfrui jussit. (k) Impugnabant privilegium VLADISLAI, Palladium provinciæ, Bohemi, per Philippum Gundelium J. U. D. defendente patriæ jura in Comitiis publicis Wolfgango de Bock Cancellario Lignicens. Quanto fervore actum fuerit Silef. Renovat. cap. cit. ad. an. 1546. curatius disserit. Franc. Faber in Sabotho suo hæc ad marginem: An. 1546. præsente FERDINANDO Rege oratores omnium ordinum Bohemiæ conati sunt Silesiæ privilegium, à VLADISLAO Rege an. 1491. impetratum, in præcipuis jurisd. libertatemque patriæ attinentibus articulis convellere. Egit Bohemorum superbam contentionem D. Philipp. Gundelius, vir eruditus & eloquens, oratione à multis annis præmeditata. Silesiorum partes tutatus est D. Wolfgang. Bock eques Ducis Lignicens. Cancellarius præter omnem exspectationem ex tempore graviter & feliciter subministrantibus actioni & defensioni Vratislavienfibus argumenta & privilegia. (l) Thuani verba sunt, qui addit: sed supra eas omnes virtutes, pietatis in illo & pacis in domo DEI constituendæ præcipuum studium fuit. lib. XXXVI. (m) d. 25. Julii ætatis LX. an. mens. IX. Pragæ sepultus.

§. 2. Itaque patre defuncto assumsit Augusti titulum (a) MAXIMILIANUS II. VRATISLAVIÆ jam an. 1563. inter repetitos applausus arcusque triumphales exceptus, ubi in theatro ad id in circo maximo extructo homagium subditorum recepit, (b) Comitiis interfuit, & ministris August. Confess. rationem sacrorum edentibus per Vice-Cancellarium (c) Zasium benignum animum abunde testatus est. Hic duodecim in Imperio annis inter bella cum Turcis & turbas, quæ Germaniam vastabant, consumtis, (d) electus POLON. REX in (e) Comitiis Ratisbonensibus an. 1576. obiit, RU-

DOLPHO

DOLPHO II. filio successore relicto, cujus carum ob litteras (f) Majestaticas Silesiis nomen est.

NOTÆ.

(a) Princeps PIUS & optimis artibus innutritus, qui jam per triennium CAROLI jussu Hispaniam rexerat. (b) Quid iis peractum, Silef. Renov. cap. XII. p. 1228. exponit. (c) Verba inter alia hæc sunt: R. M. vos & vestras Ecclesias vult sibi habere commendatas, & in suam defensionem suscipit, & vult vos tueri. Henel. in Breslogr. cap. V. (d) Regno aufugerat Henricus Valesius in itinere Viennam veniens, quem æmulum benigne tamen Cæsar habuit, & ut in Galliam redux, libertatem religionis suis incolumem esse pateretur, aureis plane verbis monuit. In hujus locum ab Archi-Cancellario Regni cum maxima senatorum Poloniæ & Lithuaniæ parte electus est, sed antequam regnum occuparet defunctus, filium Ernestum forte sibi præferri cupiens. (e) Quæ conscripserat, de auxiliis adversus Turcas colligendis, suaque electione in Pol. Regem tuenda. Thuanus lib. LXII. MAXIMILIANUS CÆSAR, sive curis confectus, sive longa corporis ægritudine debilitatus, IV. Eid. VIIIbr. optime meritam de republ. Christiana animam in Comitiis, & quasi inter Ordinum Imperii manus ac complexus DEO reddidit, cum XLIX. annos exegisset, & Imperium XII. tenuisset. (f) Extant integræ in Henelii Silesiogr. edit. Francof. in Appendice Document. & in Theatri Europ. Tom. I. ad an. 1609. Legati Silesiorum ad eas in aula Cæsarea obtinendas fuere Excell. Dn. Weickhardus de Promniz, L. B. in Ples & Soraw: Joh. Georgius de Czedliz in Stroppen: Sigismund. de Burghaus in Stolz, & And. Geislerus J. U. D. Verba præcipua AUGUSTISSIMI sunt: Wir bewilligen, geben Macht und Recht darzu, das die gehorsamen Fürsten und Stände, und also alle und iede Einwohner des ganzen Landes Schlesien, sie sein unter Geist- oder Weltlichen Fürsten, Herrn, Commendatorn, auch in unsern Fürstenthümern gesessen, aufm Land, Stätten und in Dörffern, welche der Augspurgischen Confession verwand sein, und sich zu derselben bekennen, keinen ausgenommen, ihre Religion laut izterwehnten Confession frey und ungehindert überall an allen Orten üben, verrichten, zu keiner andern Religion

ligion gedrungen, oder derowegen verjaget, ſondern bey allen izo innhabenden Kirchen- und Gottesdienſt ruhig und unangefochten gelaſſen werden ſollen. Hæc ex §. 1. excerpſimus. Idem quoque RUDOLPHUS AUG. confectam ab Ordinibus Sileſiæ in publicis Comitiis Conſtitutionem, quæ de Arreſtis, de obligationibus mulierum, de iis qui Bancam ruptam faciunt, de executionis modo, & de coercenda juventutis petulantia agit an. 1577. Vratislaviæ d. 19. Junii confirmavit; vocatur die Policey-Ordnung, & integra apud Dn. de Weingarten de Iur. Sileſiæ ſ. in fronte lib. II. invenienda eſt.

§. 3. Hoc adhuc vivente MATHIAS in regnorum BOEMIÆ PANNONIÆque ſocietatem adoptatus (a) pulcerrimo apparatu an. 1611. VRATISLAVIAM venit, obvios habens ad novum usque forum urbis ſenatores legatosque (b) Haunoldum, (c) Heslerum, (d) Fürſtium, urbisque Syndicum ac Ducatus Procancellarium (e) Henſcherum, quos ſerena fronte REX excepit, Capitaneo Adamo de Döbſchüz cum equitatu Ducatus, ſenatoribusque cæteris, ex quibus (f) Pucherus, Oelhafenius, ac Sebiſius, cum equitibus aliis optime ornatis, eminebant inter Ordines Sileſiæ ſequentibus. Hic inter communes applauſus & multiplicata vota per menſis integri ſpatium in urbe commoratus liberalitatem auguſtam omni ratione exercuit, acceptoque in (g) Comitiis ab univerſa Provincia fidelitatis juramento VIENNAM rediens, AUGUSTI titulo auctus devolutaque in FERDINANDUM (h) ſuc-

(h) ſucceſſione inter belli Bohemo-Germanici initia an. CIↃ IↃ CXIX. obiit.

NOTÆ.

(a) In cujus deſcriptione Henelii Breslographia deſinit. Rex per Luſatiam Sileſiam ingreſſus d. 15. Septembr. Lignitiam ad Ducem Joannem Chriſtianum pervenit, poſtridie Ducatum Vratislavienſem attigit, & ut urbis in conſpectum appulit, Principes Sileſiæ aderant, ex quibus Carolus Dux Monſterbergenſis lætitiam publicam ob adventum Regis egregia oratione teſtatus eſt. Urbem equo, Hungarico more ornato, vectus intrabat, inter arcus triumphales, populique ad inſigne ſpectaculum effuſi applauſus, & in illa ad 17. usque Octobr. diem ſubſtitit. (b) De Haunoldis, Sebiſiis, Dobſchüzio & Oelhafenio Sect. IV. §. 11. (c) Daniel Heslerus in Polockowiz & Wangem, ſenior & Scabinatus præſes electus an. 1588. (d) Joſephus Fürſt à Kupferberg in Libenſtein & Girbigisdorff, an. 1598. electus, cujus poſteri nunc Baronum titulo gaudent. (e) Vitam dedit Henelii Sileſia Togata MSta lib. IV. no. 41. add. Sect. IV. § 13. (f) Elogium ejus habet Sileſia Togata. (g) vide Sileſiogr. Renovatam Tom. II. cap. XII. p. 1234. (h) Extant acta publica ad hoc negotium pertinentia in Caſp. Londorpii Act. Publ. Tom. I.

CAPUT II.

FERDINANDUS II. FERDINANDUS III. FERDINANDUS IV.

§. 1.

DAmnum ingens exceſſu MATHIÆ paſſa fuiſſet SILESIA, niſi (a) FERDINANDI II. ex linea Græcenſi exortus urbi noſtræ imo orbi animum reddidiſſet. Cum vero divinitus conſtitutum ſit, ut proſperiora fata adverſa, cœlique & maris temperiem nubila tempeſtatesque commendent, ideo

 eve-

eveniſſe arbitror, quod ob (b) electionem Friderici Palatini turbo ingens, bellique non unius flumen, ſed multorum congeries, (c) patriam quoque caram vaſtaverint, ſopitis tandem SEPTEMVIRI SAXONICI ope incendiis CÆSAR in gratiam recepit SILESIÆ DUCES, ſpiritumque quaſi & vitam reſumſit (d) VRATISLAVIA.

NOTÆ.

(a) CAROLI ARCHIDUCIS Fil. UNGARIÆ MATHIA adhuc vivente REX, cujus vitam Annales Kevenhülleriani egregio noſtra ætate in rem litterariam fato prodeuntes tradunt; laudes Zoislaus Bercka ſingulari libro exhibuit. (b) Idem nobis ac nautis agere liceat, qui diu fluctibus ac ventis agitati, ut in proximas evaſere rupes pacato demum Oceano quis quantusque cœli & aquarum fervor fuerit, ſecum inter grates DEO ſolvendas reputant. Itaque quod electionem illam Fridrici attinet, recuſavit coronam SeptemVir Saxo, Daniæ vero Rex & Sabaudiæ Dux nimio locorum intervallo erant disjuncti, quin regnum occuparent; hinc in Fridericum Palatinum omnium animi verſi, juvenem, ſibi vicinum, Gallorum ac Batavorum amicum, imo Angliæ Regis generum. Huic, ut Regem ſe ſalutare pateretur, ſuadebant conjux Regis filia, Ludov. Camerarius officio Cancellarii regni inhians, ipſa terrarum ubertas, nec Aſtrologi deerant omina fauſta nunciantes: ſed fortunæ blandienti non obſequendum eſſe putarunt, mater Juliana Naſſovia & Bavarus. Anno demum 1620. d. 20. Octobr. aſcendit ſolium Palatinus, ſed mox alienatos ſuorum animos habuit, cum filium ſucceſſorem ſibi conſtitueret, exteros Bohemis præferret, eaque plura committeret, quæ in Commentariis ampliſſimis de bello tricennali legi merentur. Res ipſa devenit ad prœlium, quo exercitum, quem victoriæ fiducia incautum reddiderat, imo regnum amiſit Fridericus, fugaque ſibi conſulens, per Vratislaviam Berolinum, tandem in Hollandiam delatus eſt. Sic aſſerta FERDINANDO Bohemia ſecuritate, in qua nunc conſpicitur, regnum ſua quoque electoratus dignitate poten-

potentiſſimum fuit donatum. (c) Jam antequam regno, quod occupaverat, pelleretur Fridricus, Coſacci Poloniæ Regis inſtinctu Sileſiæ & Moraviæ infuſi late terrorem dabant. Victo Rege non parum adhuc turbarum excitavit Jägerndorfius, cujus tamen copiæ disjectæ, & loca ab ipſius & Mansfeldii milite inſeſſa recuperata. Sed Betlenio denuo adverſus CÆSAREM inſurgente Mansfeldius reparatis viribus, aſſumtoque Joanne Erneſto Vinarienſi Duce (qui in Sileſia ſubſtitit) in Hungariam penetravit, cum interea Vinarienſis exercitus provincia noſtra per Fridlandum expelleretur: qui de tentando Maris Balthici Imperio & frenanda Septentrione cogitabat. Tunc Suecorum Rex Guſtavus Adolphus arma contra DOMUM AUSTRIACAM arripuit, & cum exercitu indies aucto in Germaniam profectus eſt, cui Sileſiam vaſtanti optime reſtitit inſignis heros Joannes Udalricus L. B. de Schaffgotſch, Dynaſtiæ Trachenbergenſis dominus, Agnetes Duciſſæ Lignicenſis, Piaſteo ſtemmate oriundæ, maritus, qui Sileſitano militi præfectus alium quoque ſuo ære conduxit, & ab Alberto Fridlando XM. Dux datus loca ab hoſte capta recepit, & cum eo ad Steinaviam, ubi pons Viadro impoſitus eſt, Suecorum copias ſuis majores fugam capeſſere coëgit, de qua clade Suecorum Pufendorff. Rer. Suecic. V. §. 100. ſeqq. Idem quo ardore de Vratislavia ſibi aſſerenda cogitaverint Sueci IV. §. 61. & miratur, impune oppidanis reſponſo ſuperſedere licuiſſe. Verum deteriora fata inſula Vratislavienſis (cui Arena nomen) habuit, de quibus IV. §. 61. & V. §. 104. Liberata tandem fuit per Fridlandum ejecto Suecorum præſidio. (d) Conciliato cum AUSTRIACA DOMO electore, pactoque Pragæ inito (quo Luſatia ad Saxonum Imperium devoluta) idem Septemvir ſe Sileſiæ tutelam ſuſcipere declarabat. Hinc veniam dedit urbi noſtræ FERDINANDUS, quod, qua ratione factum ſit, Reſcripti Cæſarei, Pragæ an. 1635. ultim. Maji editi, verba dabunt: Sr. Kayſerl. Majeſtæt wollen die Stadt Breslaw zu Kayſer- und Königlichen Gnaden auff- und angenommen haben: Doch haben Ihro Käyſerl. Majeſtæt ausdrücklichen bedinget, daſs die Stadt Breslaw gegen ſolcher erwieſenen Gnad die Hauptmanſchafft deſſelben Fürſtenthumes ſamt der Canzley und andern dazu gehörigen Juribus ohne einigen Entgelt der darauff hafftenden Pfandſumma und

andere Forderungen Ihrer Käyſerl. Maj. zu Dero freyen Diſpoſition lediglich wieder abzutreten und einzuräumen, auch die innhabenden Verſicherungen auszuhändigen ſchuldig ſein ſollte, doch in andern Stucken, die nicht eigentlich zur Canzley noch Hauptmannſchafft des Fürſtenthums gehörig, der Stadt Breslaw in Religion und Profan-Sachen, wie auch inſonderheit an dem Exercitio der Augſpurgiſchen Confeſſion ohn Abbruch. Plura de Capitaneatu Sect. IV. Lemmat. §. 7. legas.

§. 2. PATREM OPTIMUM (a) filius fortiſſimus FERDINANDUS III. ſecutus eſt, qui (b) turbis, veluti conſpiratione quadam in Germania confluentibus, ex voto demum compoſitis, an. 1648. Janum cluſit, tunc (c) & SILESIÆ quies reſtituta, & VRATISLAVIA ſingulari CÆSARIS gratia, (d) tam in politicis & militaribus negotiis, quam in adminiſtranda juſtitia à Ducatu penitus fuit ſeparata, ſed FERDINANDUM IV. juventutis Principem, tranquillas res firmantem, prius, quam Imperium orbis capeſſeret, ad cœlorum gaudia SUMMI NUMINIS voluntas traduxit.

NOTÆ.

(a) Suecorum ad Nördlingam victor, electus an. 1636. Romanorum REX patre adhuc vivente. (b) Sileſiam ipſam adhuc Sueci vaſtabant, iterumque de Vratislavia an. 1639. cogitabant. Addam, quo fides verbis ſit, ex Pufendorfii XI. §. 20. quædam: Neumarcum (ſ. Neoforum quarto ab urbe lapide) Torſto Stalhantſchius, à Banerio in Sileſiam miſſus, expugnaverat, ſed duodecim Vratislavienſium milites, in arce deprehenſos, liberos domum dimittebat, ſuis nuntiaturos, ſe amicum venire, ſi recte rem æſtimare velint. Imo XV. §. 15. hæc habet: Torſtenſohnius ad unum à Vratislavia milliare per unum & alterum diem (an. 1643. Menſ. Octobr.) conſidet: ubi aliquoties tubicines ac tympanotribæ ad urbis

urbis portas accedentes vini, aromatum, ac aliarum rerum emendi facultatem petebant, quorum neminem oppidani admiſſione, aut reſponſione dignabantur. Neque Wittenbergius cum an 1644. arcem Ohlavienſem, ad compeſcendos ea parte Vratislavienſes, munimentis firmaret, id obtinuit, ut (quam vocant) neutralitatem ſervent ipſi. (c) Articulo enim XIII. Pacis Osnabrugenſ. ita cautum eſt: Sileſii etiam Principes, Aug. Conf. addicti, Duces ſcilicet in Brieg, Ligniz, Monſterberg & Oels, itemque civitas Vratislavienſis, in libero ſuorum ante bellum obtentorum jurium & privilegiorum, nec non Aug. Conf. exercitio, ex gratia Cæſarea & Regia ipſis conceſſo, manutenebuntur. (d) vid. Sect. IV. §. 7.

CAPUT III.

LEOPOLDUS M. JOSEPHUS.

§. 1.

LEOPOLDUS M. in cujus venerationem orbis terrarum aſſurgit, poſt interregnum ſummum inter mortales faſtigium conſecutus eſt, (a) bello Polonico adhuc involutus, ſed nec hoc nec ingentia alia, quibus Gallorum Turcarumque impetus ab Imperio Romano propulſabat, ab amore litterarum, ſtudioque terrarum ſuarum commoda provehendi ipſum revocarunt. Ad ſtabiliendam SILESIÆ ſecuritatem cum JOANNE III. Polon. Rege fœdus iniit, quod (b) Compactata SILESIAM inter & POLONIAM vocant, VRATISLAVIÆ confirmatis antiquis privilegiis (c) immunitates novas conceſſit, imo in ea (d) Academiam condidit, hoſtibus demum undique cæſis, vindicata CAROLO FILIO MONARCHIA HISPANICA, & reſtituta

GERMANIÆ libertate placidum an. 1705. fatum expertus.

NOTÆ.

(a) Cujus molem Pufendorfius de rebus Caroli Guſtavi tradit. Caſimirus fugiens in Oppolienſen Sileſiæ Ducatum pervenerat, Carolo totam Sarmatiam, occupante, jamque de corona ſibi inponenda cogitante. Actum de regno fuiſſet, niſi LEOPOLDUS auxilia Polonis tuliſſet, & Cracoviam recuperaſſet; unde & Sueciæ Rex, ut Imperio AUSTRIAM excluderet, omnem ſed fruſtra lapidem movit. vid. Lib. IV. §. 40. & ſeqq. Itaque grates Respublica reddidit, cum JOANNES III. Rex ad eripiendam Turcarum faucibus Viennam an. 1683. cum exercitu advolaret, quem CÆSARIS nomine in Moravia optime de univerſa Sileſia meritus heros Leopoldus Comes de Schaffgotſch, Udalrici filius, excepit, (b) An. 1677. d. 24. April. Extant integra Sanct. Pragmaticar. quæ ad Sileſiam pertinent, Volum. I. p. 206. quibus de pace & finibus, inter utramque Regionem firmandis, cautum eſt. (c) Quas hinc & inde in Sanct. Pragmatic. Voluminibus invenies: ſunt ex illis: Privilegium Gradiſci an. 1660. d. 16. Aug. Urbi noſtræ de exigenda decima litis in caſum ſuccumbentiæ ad coërcendos frivole appellantes conceſſum: quo his in ſenatum verbis prolixam voluntatem edidit: Wann wir dann gnädigſt wahrgenommen und betrachtet, die getreue und nüzliche Dienſte, ſo Unſern Vorfahren und Uns, Unſere Stadt Breslaw und dero RathMänner iederzeit unverdroſſen geleiſtet, und damit ferner fortzufahren unterthänigſt erböthig und begierig ſein, auch die gemeldte RathManne biſanhero zu Unſerm genädigſten Wohlgefallen die Juſtiz gleich durchgehend auffrichtig und ohne Tadel adminiſtriret haben &c. &c. An. 1705. d. 6. April. juſſu CÆSARIS univerſæ Provinciæ injunctum, ut Vratislavienſi pondere & menſura utatur. (d) Anno 1702. jurisdictione criminali, inde à CÆSAREA MAIESTATE ſibi impetrata, qualiter ſe res quoad forum hoc privilegiatum habeat, & quomodo conſtituto judicio delegato à Rectore Magnifico Senatorum civitatis duo ad illud vocandi ſint, Seidelius JCtus lib. II. cap. II. §. 5. de Jur. atque Proceſſ. Forenſ. in Sileſia, tradidit,

§. 2. JO-

§. 2. JOSEPHUS, jam PATRE vivente HUNGARORUM ROMANORUMque REX, bis expugnata Landavia Gallorum terror, Suecorum Regi Carolo XII. ex Septentrione prodeunti, inque Saxonia commoranti, Religionis exercitium SILESIIS Aug. Conf. addictis liberum fore AUGUSTA (a) munificentia teſtatus eſt, confirmato inſuper urbi Ducatuique Vratislavienſi jure Pace VVeſtphalica conceſſo, ſed (b) conjuncta cum Imperio BOHEMIA & AUSTRIACI NOMINIS MAIESTATE longe lateque aſſerta, VICTOR ubique, præmaturo an. CIↃ IↃ CCXI. fato defunctus, incredibile omnibus ſui reliquit deſiderium.

NOTÆ.

(a) Ipſam Conventionem AltRanſtadienſem, Suecorum inter Regem & AUGUSTUM JOSEPHUM initam, ſiſtit integram Volum. III. Sanct. Pragmatic. Sileſiæ, ubi §. 1. de libero exercitio Religionis Vratislaviæ ſervando conſtat. An. quoque 1709. in Executionis Receſſu has Vratislaviæ ſuæ immunitates largiebatur CÆSAR. §. 15. das Conſiſtorium oder ſo genannte KirchenAmt bey der Stadt Breslaw ſoll in derjenigen Verfaſſung, wie es Tempore Pacis Weſtphalicæ geweſen, verbleiben, auch das Jus præventionis & electionis mit dem Biſchöfflichen Conſiſtorio wie vorhin ſtatt finden, und die zu dem Biſchöfflichen Conſiſtorio freywillig recurrirende Partheyen entweder ſecundum Canones in Auguſtana Confeſſione receptos, & quidem ſalva ſemper Appellatione immediata an Ihro Käyſer- und Königliche Majeſtæt judiciret, oder aber gleich anfangs nach der Sachen Bewandnüſs und Umſtänden von erwehnten Biſchöfflichen Judicio abgewieſen, und an das Breslawiſche KirchenAmt remittiret werden. (b) An. 1708. priſtinum in Comitiis locum (qui ſemper Bohemiæ Regi patuit) ſuo arbitratu uno omnium voto iterum Bohemia occupavit.

CAP. IV.

Caput IV.

CAROLUS VI. P. F. A. P. P.

§. 1.

FRATREM CARISSIMUM in Imperio & Regnis hæreditariis excepit CAROLUS VI. P. F. A. P. P. inter litteras & arma educatus, qui rerum geſtarum fama omnem terrarum orbem adimplevit, emenſoque Oceano, occupatis Gadibus, ejectis ex HISPANIA hoſtibus, liberata ITALIA, devicta Gallia, pacata GERMANIA, Turcis triumphis & monumentis notatis, recepta SICILIA, Rege SARDINIÆ dato, Oriente demum ac Occidente tropæis luſtrato, eo pervenit, ut NOMINI ejus AUGUSTO nulla par poteſt inveniri oratio. Huic ORBIS CHRISTIANI LOCUPLETATORI, OPTIMO PRINCIPI, vitam, victoriam, AUGUSTÆque DOMUS ÆTERNITATEM inter multiplicata tot Gentium, quæ ab EO jura petunt, vota obſequens VRATISLAVIA apprecatur.

§. 2. LEOPOLDUM quidem ARCHI-DUCEM & ASTURIÆ PRINCIPEM CAROLO & Orbi Divina largiebatur Clementia, quem vero eodem adhuc anno ſibi ereptum Sileſia, Germania, meliorisque Europæ Regna lugent, ſpes tamen ampliſſima ſupereſt, quin PATRIÆ PATRI, in tot Provinciarum nationumque ſolatium optime regnanti, denuo

Hæ-

hæredem maſculum concedat AUSTRIACÆ DOMUS AMATOR DEUS, nec unquam affirmari poterit, LEOPOLDUM pietate & victoriarum numero MAGNUM morti proximum incaſſum CAROLO SUO PATERNA VOTA dixiſſe.

Sectio IV.

DE DIGNITATE URBIS ET DUCATUS VRATISLAVIENSIS.

§. 1.

DE dignitate urbis & Ducatus VRATISLAVIENSIS pauca memoriæ traditurus, id maximam illi famam adferre arbitror, quod ſummum orbis Principem, cujus ad animum, veluti ad portum quendam plurimarum Occidentis ac Orientis provinciarum, preces confugiunt, dominum imo patrem habeat. Etenim quod de clementia ad Stiliconem ſuum Claudianus ſcripſerat, idem de CAROLO NOSTRO AUGUSTO aſſerere licet:

Hæc Dea pro templis & thure calentibus aris
Te fruitur, poſuitque ſuas hoc pectore ſedes:

Sic ſalva TANTO SUB CÆSARE urbis ſalute transeunt, quæ alias regiones vaſtant, tempeſtates, nec in nos committere quid audent adverſa, quibus raro ſæcula carent, fata.

§. 2. Hinc ut de DUCATU loquar (quem Imperii Feudum (a) RUDOLPHUS I. appellavit) eſt ille inter hæreditarios REGIS BOEMIÆ, ex eo, quod ſupra vidimus, pacto, HENRICUM inter & JOANNEM an. 1327. inito; (b) EPISCOPUS tamen VRATISLAVIENSIS, qui ſimul Dux Niſſenſis eſt, (c) primo in Comitiis voto gaudet, (d) monetam cudit, (e) Conſiſtorium & Judicium Aulicum exercet, omnique, quod Principem oſtentat, jure fruitur, neque tamen DUCATUI nec EPISCOPO ſubeſt URBS, ſed immediate (uti vocant) ad BOEMIÆ REGEM ſpectat, cujus ſummum tribunal, ad quod criminales civilesque res (f) appellando deferri poſſunt, Pragæ conſtitutum eſt.

NOTÆ.

(a) An. 1290. Erfordiæ: Tria, quibus id accidit, Privilegia Tom. II. Sileſiogr. Renovat. cap. IX. p. 823. ex Balbini Miſcell. integra dedit. Confirmavit ea CAROLUS IV. Rom. REX Pragæ 1348. (b) Caſp. Sommer in Sileſia Pia MSta. lib. I. cap. 1. §. 6. Epiſcopi eligendi jus eſt penes Senatum Canonicorum utriusque collegii, in Inſula D. Joannis exiſtentis, ſciente tamen & approbante Rege Bohemiæ, patrono eccleſiæ, cui Epiſcopus fidem jurare tenetur. Rapoldus in Hiſt. MSta de Illuſtr. Sileſ. Ducatu: Primi autem Epiſcopi usque ad Joannem Polonum ex Italia inde venerunt, à Romanis pontificibus miſſi & inſtituti, poſtea & Germani ipſi quoque Epiſcopalem mitram ſuo capiti imponendam putarunt. Inde hæc de Precislao Epiſcopo: Anni ſunt paulo plusquam ducenti, cum ad hujus dignitatis faſtigium Precislaus aſcendit, qui tantas divitias accumulavit, ut præter alia multa ad Epiſcopalem aulam Grotkam civitatem (quam à Bregenſi Duce emerat) adſcripſerit, & ſuam menſam aureis atque argenteis poculis & pretioſa

tioſa ſupellectile ſplendidiſſime ornavit. Hinc ille Epiſcopus Aureus vocatur & Fortunatus. (c) Idque collectivum eſt. (d) Vide egregium librum Dewerdeckii Sileſiam Numismaticam cap. 2. von den Biſchöfflichen Münzen, & Tom. I. Theatri Monetarii Haunoldiani MSti, quod inſigne Illuſtris Autoris opus Bibliotheca Rhedigeriana habet. (e) Vid. celeberr. Seidelii JCti l. c. cap. II. §. 3. 4. 5. & cap. III. Sect. VI. §. 27. (f) Habent tamen Vratislavienſes ſpeciale privilegium, ut ab eorum ſententiis, niſi ſumma litis 150 florenos excedat, provocari à nemine poſſit. add. Schmidii Vratisl. Diſſertat. de Judiciis Sileſiæ Inappellabilibus.

§. 3. (a) EPISCOPATUS, poſt varias vices VRATISLAVIAM translatus, in amœna S. Joannis Inſula ſedem habet, cui ſæpius (b) Principes (c) ARCHIDUCESque præfuerunt, noſtra vero tempeſtate ſummam is amplitudinem conſecutus eſt, cum FRANCISCUM LUDOVICUM, urbi amicum *Principem*, GENTE PALATINO-NEOBURGICA, quæ AUSTRIACOS attingit, ortum, ad ELECTORATUM TREVIRENSEM meritorum magnitudo provexit.

NOTÆ.

(a) De Scriptoribus, ad Epiſcopatum pertinentibus, Rhonius Epiſt. I. & II. & Miſcell. Rungiana Part. I. & II. Bene Caſp. Sommer in Sileſia Pia MSta I. cap. 1. §. 4. Jam tum, antequam cathedra Epiſcopi Vratislaviæ figeretur, Vratislavienſis dictus deprehenditur. Smogra prima ſedes erat, Namslavienſis in Vratislavienſ. Ducatu pagus, inde Riczynum (hodie Pitſchen) an. 1041. fuit translatus, demum à Caſimiro I. an. 1052. Vratislaviam. Incrementa ejus hinc & inde ex his paginis legas, imo ex Henelii Sileſiogr. Renovata cap. VIII. ubi Epiſcoporum ſeriem invenies. Præcipuum Regni BOHEMIÆ membrum & inſignem Principatum eum FERDINANDUS I. in Confirm. Privileg. appellat, uti apud Dn. de Weingarten p. 26. lib. II. Faſciculi diverſorum jurium videre

est. (b) JAROSLAUS, BOLESLAI ALTI DUCIS WRATISL. filius, elect. 1198. denatus an. 1201. vid. Sect. I. cap. 4. §. 2. WENCESLAUS DUX LIGNICENSIS, CONRADUS DUX OLSNENSIS elect. 1417. defunctus 1447. CAROL. FERDINANDUS, Princeps POL. ac SUECIÆ, an. 1655. extinctus. FRIDERICUS, Landgravius Hassiæ & Ecclesiæ Romanæ Cardinalis, an. 1682. denatus, inque magnifico Mausoleo conditus. (c) CAROLUS ARCHID. AUSTR. magnus Magister Ordinis Teutonicorum & Episcopus Brixiensis, an. 1608. LEOPOLDUS WILHELMUS an. 1655. electi, & CAROLUS JOSEPHUS ejus successor an. 1664. defunctus an. XIII. Mens. V.

§. 4. REGIS BOEMIÆ SUPREMI UTRIUSQUE SILESIÆ DUCIS *suprema Curia*, ex qua tota Provincia pendet, urbis quoque dignitatem auget, *Collegium Illustrissimum*, quod formale demum an. 1628. FERDINANDUS II. instruxit: Capitaneus summus illi præsidet, SILESIÆ ex(a) VLADISLAI Privilegio PRINCEPS: nostra id ætate uno omnium applausu dirigit *Celsissimus Comes*, JOANNES ANTONIUS DE SCHAFFGOTSCH, qui PIASTUM inter imagines suas refert, Ducatusque Lignicensis & Bregensis Insignia suis, AUGUSTO JOSEPHO jubente, addidit. Præterea *Cameræ Regiæ Collegium* à FERDINANDO I. stabilitum, & *Judicium* speciale *de rebus, ad Ducatum Vratislaviensem spectantibus*, cognoscens, (quod Capitaneus Vratislaviensis, duo Assessores & Secretarius constituunt) VRATISLAVIAM nobilitant, illi *Excellentissimus Comes* DE NEIDHARD, huic *Excellentissimus Comes* DE STRATT-

STRATTMANN præest: nec silentio prætereundum aliud, quod commerciorum amplitudini prospicit, & *Excellentissimum Comitem* DE NOSTIZ caput habet.

NOTÆ.

(a) De quo Sect. II. §. 7. verba sunt: Geben, bestättigen, und verleihen aus obberührter Böhmischer Königlicher Macht: erstlichen: dass wir noch unsere rechte nachkommende Könige zu Bœhmen, den iztgemeldten Landen (superioris nempe & inferior. Silef. Ducat.) keinen andern obersten Hauptmann nicht sezen noch geben wollen, dann allein einen aus unsern Schlesischen Fürsten.

§. 5. Medium urbis forum quadratum, medium fori curia, quam reipublicæ patres adeunt, quibus BOEMIÆ REGES leges sciscendi & antiquandi, senatum conscribendi, urbisque salutem prorogandi facultatem concesserunt. Constat egregium & Magnificum Collegium XIX. Viris, CAROLO IV. & SIGISMUNDO sic jubente, qui ex Patriciis, litteratis, mercatoribus, (a) tribubusque, Cinerum die lecti ad gubernacula reipublicæ vocantur, his Syndici Secretariique accedunt, qui Principes adventantes oratione excipiunt, sententias conficiunt, Protocollum tenent, & Senatus Decreta libellis supplicibus inscribunt: Adest & Cancellaria, adsunt Notarii. Jus Romano-Saxonicum valet, ubi nihil Statutis ei derogatum est, gravissimas causas REX discernit. Senatorum Consulares inter & Scabinos divisio est: penes illos eligendi potestas ex

(b)Privilegio DUCIS HENRICI VI. Commissarii duo, qui & Seniores audiunt, de præsidiario milite & annona, Ædilis de ædificiis publicis vel exstruendis vel collapsis restaurandis, ærarii præfecti duo de reditibus colligendis, sumtusque publicos solvendis urbi prospiciunt, & singulis annis (c) in concione populi rationes edunt, prælegente eas primo redituum Magistro. Summum in Senatu locum PRÆSES occupat, cæterorum vota colligens, in qua dignitate nunc ILLUSTRIS HOFFMANSWALDAVIUS constitutus est.

NOTÆ.

(a) Institorum, Zythopolarum, Pannificum & Lanionum. (b) An. 1327. concesso (c) Die Sabbathi ante festum Palmarum.

§. 6. Hoc quoque excellit ac eminet, quod ad publicos Ordinum SILESIÆ Conventus, (a) in curia urbis celebrandos, legatos mittat VRATISLAVIA, quibus post (b) Ducatus hæreditarios locus est, ab omnibus tamen universæ Provinciæ civitatibus distinctus: sunt illi nostra tempestate secundus à Præside & Proto-Syndicus.

NOTÆ.

(a) Quanquam nulla lege ad locum hunc adstricti sint, ideoque factum, ut Lignicii, Nissæ, Bregæ, imo in aliis Silesiæ urbibus convenerint. vid. Silesiogr. Renov. cap. XII. §. 15. in notis. (b) Qui secundam in conventu classem occupant, prima principibus Silesiæ, (EPISCOPO, OLSNENSI, LICHTENSTEINENSI, LOBKOWICENSI, & AVERSBERGENSI) & liberis Dynastiis, (WARTENBERGENSI, MILICENSI, PLESSENSI, TRACHENBERGENSI, & utrique BEUTHENSI) tertia urbibus cæteris

teris relicta: Itaque post Ducatum Tessinensem locum habet Vratislavia.

§.7. Ducatus Præfecturam olim Senatus mox interrupta, mox continua annorum serie habuit, hinc Senatorum primus, CAPITANEUS VRATISLAVIENSIS dictus, quorum in imaginibus seriem Bibliothecam Rhedigeriana servat. Obtinuit an. 1336. illustre munus à Rege JOANNE Conradus de Borsniz, cum ille caducitatis jure Ducatum occuparet, ultimus vero tribus sæculis absolutis Adamus de Säbisch an. 1636. AUGUSTO FERDINANDO III. jubenti reddidit, non imminuta tamen urbis dignitate. Hinc enim PRÆSES appellari cœpit, quem in summum Senatus locum fortuna provexit, & VRATISLAVIA, in numerum Statuum Immediatorum relata, ab omni jurisdictione Ducatus (*) egregio CÆSARIS Privilegio fuit exemta.

NOTÆ.

(*) Stanisl. Aichheuser à Leonhardwiz in Protsch, Weida & Lilienthal, Senator inde & PRÆSES (cujus elogium lib. III. Silef. Togata dedit Henelius) primus, reddita AUGUSTO Ducatus præfectura, Senatui autor fuit, Exemtionis petendæ. Quod cum placeret consilium, assumto in laborum curarumque consortium Joanne de Pein Syndico CÆSAREM adiit, & Privilegium impetravit, quo urbs tam in politicis & militaribus negotiis, quam in administranda justitia à Ducatu penitus fuit separata. Obiit vir summus, Consiliarii Cæsarei titulo à FERDINANDO III. absque ullo suo ambitu auctus VIII. Calend. Mart. MDXLIII.

§. 8. Præsidiarium militem, in duas alas distinctum, quibus à (a) rubro viridique vexillis cognomen

men eſt, urbs ſuis ſumtibus alit, illique ſummum præfectum, bellicis laudibus innutritum, Conſilium Senatus ſecretius conſtituit: nec Civium deſunt XII. (b) Cohortes ad tuendam urbem paratæ, quas ſingulas viri perſpectæ cognitæque fidei ducunt: Armamentaria duo (c) hoſtium ſpolia & omnium rerum, quæ ad bellum uſui ſunt, ſummam facultatem oſtentant.

NOTÆ.

(a) Henelii ætate fuerunt quatuor: Cærulea, Rubra, Flava & pro defenſione Inſulæ S. Joannis Viridis. (b) Urbs tamen in quatuor vicos ſeu regiones diſtincta eſt, Viadrinam, Ruſſam, Olavienſem ac Neoforenſem, hinc vox & officium Ein Viertel-Meiſter. (c) Tartarorum nempe & Huſſitarum.

§. 9. Sed cedant arma togæ, ſique litteris urbes adjuvantur, cum Cicerone teſte ſecundas res ornent, adverſis perfugium ac ſolatium præbeant, deeſſe aliquid venuſtati ac dignitati urbis noſtræ videretur, niſi ad tantam famæ magnitudinem liberaliſſima affluerent ſtudia. Verum Claudiani illud & apud nos indies audiundum eſt.

Creſcite virtutes, fœcundaque floreat ætas
Ingeniis, patuit campus certusque merenti
Stat favor, ornatur propriis induſtria donis,
Nil licet invidiæ CÆSAR dum proſpicit orbi.

§. 10. Pinacothecam quidem AMICO LECTORI offerre, nec inſtituti ratio, nec ſpatii anguſtia permittit,

mittit, ſunt tamen ex Vratislavienſibus, quorum ne nomina ſilentio præteream, res poſcit: Jaroslaus Dux & Epiſcopus Vratislavienſis, Vladislaus Dux & Archi-Epiſcopus Salisburienſis, Henricus Craſſus Dux Vratislavienſis, Joannes Muſcata eques Vratislavienſis, Joannes Berckenſchloërus Archi-Epiſcopus Salisburienſis, Scheuerlini, Kribelius, Sauromannus Canonici, Eiſenreichius Capitaneus Vratislavienſis, Zellerus & Dameravius Academiæ Lipſienſis Rectores, Morenbergerus Reipubl. Patriæ à ſecretis, Sauromannus CAROLI V. apud Sedem Apoſtolicam in urbe Procurator, Michaël Hiſtoricus, Mezlerus & Prokendorfius Reip. Patriæ Senatores, & Thielius ad S. Vincentii Ædem Abbas, quorum vitas ſingulari ſtudio & libro de Sileſiis indigenis eruditis Mart. Hankius edidit.

§. 11. His ex inſigni illorum, qui meritorum in patriam litterarumque laudibus abundant, numero adjungam viros, quos nulla unquam obſcurabit oblivio, (a) Joannem & (b) Achatium Haunoldos, (c) Nicol. Sebiſium, (d) Nicol. & (e) Ambroſium Jenckvvizios, (f) Sigfrid. Rybiſchium, (g) Monavium, Adamum (h) Döbſchüzium, (i) Arzatium, (k) Oelhafium, (l) Peinium, Albert. (m) Sebiſium, (n) Tarnavium, (o) Hoffmanswalda-

vvaldavium, (p) Kõnigsdorfium, ultimumque gentis ſuæ, ob quinquagenalia vero in ſenatu celebrata, omnium primum, incomparabilem illum Joh. Sigism. (q) Haunoldum.

NOTÆ.

(a) JOANNES ab HAUNOLD, qui Heinricum à Dõmnigk capite multatum in præfectura excepit, vir ſapiens ac magnanimus, patriæ pater, ut Pohlius in Annal. MStis habet, autor an. 1505. ſenatui erat (Hankio in Morenbergeri vita teſte) ut conderet litterariis ſtudiis Academiam, Sileſiis omnibus, non Vratislavienſibus ſolum, commodam: quod conſilium pari affectu & ſucceſſu præter alios (Epiſcopum nempe Johannem IV. de Roth & Joannem Turzonem Coadjutorem) Morenbergerus ille regebat urgebatque. Privilegium VLADISLAI Hungariæ Bohemiæque Regis aderat, ſed Confirmationis bullam Julius II. Pontifex Rom. Vratislavienſibus denegabat. Anno 1506. d. 21. Mart. inopina mors Haunoldum multa fortiter molitum oppreſſit, exortæque Polonos inter noſtrosque ob commerciorum ſtatum turbæ; hinc evanuerunt ſalubria illa conſilia. Addit Hankius: Ii culpam ſuſtinebant, quibus erat jucundius privatis, quam glorioſius publicis ſtudere poſteritati utilitatibus. Henelii Sileſ. Togata MSta lib. II. no. 4. vitam & elogium tradit. (b) ACHATIUS ab HAUNOLD urbis Ducatusque præfectus, eques auratus, & Regiæ Maj. FERDINANDI I. (coram quo verba fecit) Conſiliarius, civilium rerum prudentiæ, actuoſæ pietatis, aliarumque præcellentium virtutum laude celeberrimus, obiit an. 1532. d. 5. Jan. uti Pohlius in Hemerologio & Henelius in Sileſ. Togata lib. II. habent. Inſignia gentis Sileſiogr. Renov. Tom. II. cap. 8. p. 674. oſtentat. (c) Inclyta SEBISIORUM ſtirps, quæ jam ab aliquot ſæculis litterarum & armorum laude inclaruit, à Polonico verbo nomen habet, quod autor illius pro Duce ſuo fortiter pugnans, commilitonibus acclamaverit: Zabiescze, zabiescze. Ex hac NICOLAUS à SEBISCH urbis Ducatusque præfectus & eques auratus erat, cujus elogium lib. II. Sil. Togat. Henel. ita orditur: Nulla erit tam ingrata Vratislaviæ poſteritas, quæ non ſummis extol-

extollat laudibus NICOL. SCHEBITIUM, patriæ libertatis cuſtodem acerrimum, qui ſecuritatem omnium propriæ quieti præferre maluit. Obiit an. 1549. 4. Cal. Maji in Æde Magdalenea ſepultus. Inſignia gentis aquilam in galea & in clypei parte rubicunda Gryphi pedem enſe armatum, in cærulea vero duas ſtellas aureas ſiſtunt. (d) Inſignia gentis & NICOL. hujus à JENCKWIZ elogium Sileſiogr. Renovat. p. 682. edit. Rempublicam pari dexteritate & autoritate geſſit, & ad ipſam urbis & Ducatus præfecturam, quo major honos conferri non poterat, pervenit: in qua dignitate eum filius poſthumus excepit an. 1538. d. 27. Jan. natus, cujus vitam & laudes l. c. p. 683. invenies. De origine gentis quædam Meisnerus decad. II. de equitibus Sileſ. illam nempe ad Poſadowskios, hi ad Habdankios legatione ad Henricum V. Imp. an. 1109. nomen ſortitos referunt. (e) Qui an. 1545. LXXXIII. an. ſenex defunctus eſt, cum terna vice totum ſenatum vivendo ſuperaſſet, illique per an. XLV. ſumma cum laude interfuiſſet. Elogium Sileſ. Togata lib. II. exhibuit, hoc vero diſtichon illi in Sileſ. Togata Cunradus dedit:

Multum turrigeræ evixi ter lumina Breslæ;
Me fortunatum quis neget ergo ſenem?

(f) SIGFRID. RYBISCHIUS Henrici J. U. D. Reip. Wratislav. Syndici, & deinde Sereniſſ. Regis Hungar. Bohemiæque Conſiliarii ac quæſtoris filius Vratisl. an. 1530. d. 13. Sept. natus, Gorlici operam ſtudiis dedit, fidei Troyeri Phyſici creditus, ætatis an. 15. ingreſſus Argentoratum ſe contulit, & à Mart. Bucero in hoſpitium fuit receptus; triennio nondum abſoluto in Galliam an. 1548. abiit, & Lutetiis unum, Aureliani dimidium; Pictaviæ amplius duos conſumſit, hinc Angliam luſtravit, inde Italiam, in qua per aliquot annos commoratus. Rediens in patriam Fiſci Regii in Hungaria Conſiliarius, demumque Cameræ Sileſiacæ Conſiliarius à MAXIMILIANO factus eſt. Antiquitatis & rei litterariæ optime gnarus, qui opes, quibus abundabat, ad augendos eruditorum conatus adhibuit, quod monumenta ſepulcrorum, ab Archetypis ipſius ſumtu collecta, & æri per Tob. Fendt pictorem inciſa, liber elegans, qui Vratisl. 1574. fol. prodiit. Anno demum 1584. d. 17. Aug. vir optimus fato ceſſit, in templo Eliſabethano ſub marmoreo tumulo conditus. (g) MONAVII

ortu Suidnicenſes ſunt, inde Patricii Vratislav. ex quibus SEBAST. à MONAU (cui Germaniam Antiquam dicabat Ortelius) litterarum amans & ſciens Senator, demum Capitaneus Vratisl. factus, Achatii HAUNOLDI ſucceſſor: Conjugem habuit Margaretham Bucretiam, unicamque filiam: an. 1534. d. 26. April. cum thermas Hirſchbergenſes inviſeret, defunctus. vid. Cunradi Sileſ. Togatam & Henel. Sileſ. Tog. III. no. 5. (h) ADAMUS à DOBSCHUZ in Silmenau, urbis Ducatusque præfectus, vir incomparabilis cujus inſignia, & elogium Sileſiogr. Renovat. Tom. II. c. 8. p. 661. dedit, hocque his verbis claudit: Natus Vratislav. 1558. d. 18. Octobr. in ordinem ſenatorium electione legitima adſcitus an. 1587. d. 11. Febr. ad ſupremam inſuper præfecturæ dignitatem evectus d. 28. Febr. an. 1607. ex ſtatione iſta juſſu DEI an. 1624. d. 6. Decembr. evocari meruit, ne ſpectatorem agere cogeretur communium patriæ calamitatum, quæ præſertim migrationem ejus ſunt ſecutæ. Poſteri ejus nunc quoque in Sileſia ſuperſunt. (i) CASPAR ab ARZAT patricia familia an. 1571. d. 10. Novembr. natus, vir litteratiſſimus, veræ pietatis, ſinceræque fidei, & ex his gravitatis & auctoritatis laude clariſſimus, filius Caſparis, nepos Georgii, qui primus Alſatia relicta Vratislaviæ ſedem fixit. Studiis in patria & in Academia Julia operam dedit, poſtque varia per Europam itinera peracta rediens Georg. Anshelmi in Born, Senat. Vratisl. filiam duxit, Schillingi viduam, in cujus locum Senator electus, litterisque & conſilio optimus bene de patria mereri niſi cum vita deſiit, quam diu calculo vexatus an. 1621. d. 11. Novembr. Senatus Senior cum morte commutavit. Inſignia gentis Sileſiogr. Renovat. Tom. II. 644. Elogium tanti viri Henelius in Sileſ. Togata lib. IV. ſiſtit. (k) LEONHARD. ab OELH›FEN & Schellenbach an. 1607. in Senatum vocatus, de quo Henel. Sil. Tog. IV. egit. Avus ejus Sixtus ab Oelhafen Norimbergenſium Decus, Romanorum Impp. FRIDRICI III. MAXIMILIANI I. & CAROLI V. Conſiliarius fuerat. Filia Leonhardi Martha heroi fortiſſimo Dieterico à Döbſchüz nupſit, Cæſarei exercitus Capitaneo, in Stettinenſi poſtea obſidione an. 1659. occumbenti. (l) Ex antiquiſſima Thuringiæ Wechmariæ dominorum gente ortus JOANNES à PEIN urbis Syndicus & Ducatus Cancellarius, Imp. MAIEST. Conſiliarius, eo inſigne nomen

nomen meruit, quod cum Stanislao ab Aichheuſer Viennam profectus urbi à Ducatu exemtionem impetraverit; de quo negotio vid. Sect. hujus §. 7. filius ejus Sigismundus Reinhard. à PEIN an. 1624. d. 22. Octobr. natus, fœcundus generis ſui propagator extitit, conſumto in clariſſimis Academiis quadriennio, in itineribus triennio, Senatui an. 1668. redux adſcriptus, cui eruditiſſimo equiti an. 1692. d. 6. April. denato, egregium monumentum Mart. Hankius poſuit: quod in Monument. ejus no. XVI. eſt. (m) ALBERTUS à SEBISCH vir litteris & armis inclytus, rubræ cohortis Vratislavienſis centurio, & munitionum urbis hujus præfectus in omni fere ſtudiorum genere exercitatiſſimus, anno 1688. octogenario major mortuus eſt, & Bibliothecam ſuam, librorum exquiſitiſſimorum ſuppellectile refertam, per teſtamenti tabulas RHEDIGERIANÆ jungendam reliquit, ſicque etiam poſt mortem de re litteraria litteratisque inſigniter mereri non deſiit. Hæc ex indice MSto de MStis Bibl. Rhedigerianæ nuper cura Nobiliſſ. KRANZII confecto. Vitam Card. Richelii, Tentamina varia artis muniendi, Miſcellanea rei bellicæ, & Architecturam portarum variarum MSt. reliquit, quæ inter MSta Biblioth. SEBISIANÆ, RHEDIGERIANÆ junctæ, locum XXV. XXVI. XXVII. XXVIII. occupant. Hujus ALBERTI frater ILLUSTRIS heros JOANN. GEORG. à SEBISCH ſub potentiſſimo Sarmatarum REGE JOANNE CASIMIRO urbis & arcis Camieniecenſis præfectus adverſus Coſaccos Tartarosque ſtrenue pugnans an. 1655. die 12. Febr. occubuit: Uxore gravida relicta, quæ eodem anno d. 6. Junii JOANNEM GEORG. SEBISIUM in lucem edidit, in Senatum an. 1691. receptum, ſæculoque exeunte mortuum, cujus filius ALBERTUS à SEBISCH nunc Patr. Reipubl. ædilis eſt. (n) JOH. CHRISTOPH. à TARNAU ex antiquiſſima equeſtris ordinis familia Polonica Tarnaviorum, Sileſiaca Kuhſchmalziorum an. 1656. d. 14. Octobr. natus, Danielis fil. cujus vitam, litteras, itinera, inque patriam merita curatius Mart. Hankius in monumento LXI. expoſuit. An. 1708. defunctus Bibliothecam omni apparatu inſtructiſſimam, optimamque nominis ſui famam reliquit. (o) CHRIST. ab HOFFMANNSWALDAU Joann. fil. Patriæ Reipubl. Præſes, S. C. REGIÆque MAI. Conſiliarius, nec SILESIÆ nec eruditorum orbi intermoriturus:

riturus: qui Gedani Opitium ejusque DaciamAntiquam(jam deperditam) in deliciis habuit, Belgium inde, Angliam, Galliam, Italiamque peragravit, Salmasii, Vossii, Boxhornii, & Barlæi auditor, Grotio, Thuano, Petavio, Peteanis, Naudeo ac Holstenio familiaris: redux in patriam Senatui adscriptus, demumque primum in eo locum sortitus est. Obiit an. 1679. d. 30. April. Gryphio ac Mühlpfortio carmine, Lohensteinio vero egregia Oratione tanto viro justa solventibus. De Poësi patria quam bene meruerit, sciunt omnes, quibus studii jucundi cura est, & inter varia ejus carmina-Socrates moribundus & Pastor fidus Germanica civitate donatus testantur. (p) SAMUEL A KOENIGSDORF Reipubl. Vratisl. Proto-Secretarius, inde Syndicus & Proto-Syndicus, qui Panegyrico LEOPOLDO M. dicato, & in plurimas fere Europæ linguas verso, inclaruit. Obiit an. 1719. d. 24. August. Annorum LVII. (q) JOH. SIGISMUND. ab HAUNOLD singulare Collegii sui ornamentum, an. 1634. d. 28. Martii ex gente de patria optime merita, quæ jam ab an. 1443. senatoria fuerat, ortus est, cujus Imagines & elogium in ejus Jubilæo Senatorio, quod inter communes applausus an. 1710. celebravit, cum numis in tanti viri honorem cusis invenies. Poterat merito illud Claudiani HAUNOLDIS acclamare Vratislavia nostra:

\- - - quemcunque requires
Hac de stirpe virum certum est de consule nasci.

Nostra tamen accidit ætate, ut an. 1711. morte PRÆSIDIS HUIUS & S. C. REGIÆQUE MAI. CONSILIARII gens quoque laudibus haud intermorituris digna occideret, quod ipse Numismate, quo applaudentibus grates egit, expressit, mortem ex altera parte sistens, velo funebri Insignia HAUNOLDIANA obtegentem, quam Imaginem Vexillum ejus more Majorum in templo Elisabethano non absque pompa suspensum repetit. Inter MSta, quæ reliquit, & Bibliothecæ Rhedigerianæ intulit, primum certe locum occupat Theatrum Monetarium Tomis VIII. fol. summa industria confectum, & litteris Eruditorum avthenticis refertum: Tom. I. f. Theatri Europæi Monetarii pars I. numos Pontificum, Episcoporum, aliosque ad rem ecclesiasticam spectantes continet. Tom. II. f. Theatr. Europ. Monet. pars II. numos Græcos, Romanos tam Consulares quam Imperatorios, Gallicos, Numis-

Numismata Imperatorum, Regum Hungariæ, Bohemiæ, Portugalliæ, Hispaniæ, Navarræ, Galliæ, Angliæ, Scotiæ, Daniæ, Sueciæ, Poloniæ, & magnorum Ducum Moscoviæ cum observationibus amplissimis exponit: III. Tom. f. Th. E. Monet. pars. III. Electorum, Ducum, Principum & Comitum: Tom. IV. f. Th. E. Monet. pars IV. Rerumpublicarum & Urbium: Tom. V. Numos varios ad volumina priora non pertinentes: Tom. VI. Mantissam de re Monetaria. Tom. VII. f. Theatr. Monet. Asiaticum: Numos Judæorum, Samaritanorum, Rhodios, Regum Syriæ, Arabicos, Persicos, & Indicos: Tom. VIII. f. Theatr. Monetar. Africo-Americarum non tam numos (quorum pauci sunt) quam observationes nonnullas ad permutationem spectantes tradit. Præterea Herbarium vivum exoticum ipsi Bibliotheca hæc acceptum refert, ex omnibus fere Maris Mediterranei & Africæ Oris, imo ex scopulis à Sylvio Boccone Nobil. Panormitano, Monast. Cistercienf. & Magni Hetruriæ Ducis Botanico collectum: Curiosa quoque Artis & Naturæ: Regnum Animale, Minerale & Vegetabile: Recreationem Mentis & Oculi Botanicam II. Volum, & Meditationes sacras selectas aliquot volum.

§. 12. Ex Theologis nostratibus præ aliis locum adepti sunt (a) Moibanus, (b) Aurifaber, (c) Hermanni & Vratisl. (d) Chrysostomus Neumannus: Ex JCtorum ordine innotuerunt (e) Reusnerus, (f) Assigius, (g) Schiferdögherus & (h) Titius: Ex Medicis eminent (i) Joh. Gallicus, (k) Crato à Craftheim, Mart. (l) Borekius, Kirstenius, (n) Sennertus & (o) Sachsius à Levvenheimb, quibus omnibus Petrum (p) Vincentium & Mart. (q) Hankium addimus, hunc quod LEOPOLDI AUGUSTI gratiam consecutus esset celeberrimum.

NOTÆ.

NOTÆ.

(a) Vitam ejus Melch. Adamus, Reusnerus, Freherus, Pohlius & Henelius in Sileſ. Togata III. tradunt. Quædam Cunradus in Sileſ. Togata. Pietate, litteris & hoſpitii jure inclaruit, an. 1554. d. 16. Jan. defunctus, inque templo Eliſabethano ſepultus, relicto ex 12. liberis Ambroſio filio paternis veſtigiis inhærente. (b) In S. Theol. Philoſ. Matheſi, ac linguarum, quas vocant, cardinalium cognitione exercitatiſſimus. vid. Henelii Sileſiam Togatam & Freherum. (c) Quorum tres Cunradi Sileſia Togata dedit. (d) Ita Epitaphium Theologo egregio in Æde Eliſabethana poſitum ordditur. Vratisl. an. 1648. Menſe Octobr. in lucem editus, Studiis in Academia Jenenſi operam dedit, inde Ducis Iſenacenſis, mox Altenburgenſ. Theologus, ex cujus aula in patriam evocatur, in qua Ædi Magdaleneæ, inde Eliſabethanæ, plurimum profuit, & principem inter Theologos Vratislavienſes locum, ſummamque nominis ſui celebritatem adeptus, an. 1715. die Chryſoſtomi e vita diſceſſit, jam. an. 1706. in REGIAM BORUSSICAM Scientiarum Societatem aſcitus. Quam in dicendi exercitatione verſatus, quam apud exteros ea gratiam collegerit liber egregius, qui Precum omnium Epitomen & finem tradit, teſtatur, in omnes fere Europæ linguas verſus. Superſunt & alia ejus ſcripta, inter quæ: Exodus Linguæ ſanctæ, Clavis Domus Heber & Biga Difficultatum Phyſico-ſacrarum. (e) Parentibus Bartholomæo (de quo lib. VI. Sil. Tog. Henelii) & Catharina Uthmannia Vratislaviæ 1565. d. 28. Martii natus, Ethices, Politices, linguarum & ejus Originum, Hiſtoriæ Romanæ & Antiquitatis optime gnarus, Menſ. Decemb. an. 1591. J. U. D. factus, Academiæ Wittenbergenſis Rectoratum ter geſſit, & Facultais Juridicæ Vice-Decanus perpetuus, Ordinarius & Senior creatus eſt, hinc Conſiliar. Elect. Curiæ Provincialis & Dicaſterii, nec non Conſiſt. Eccleſiaſt. Witteberg. demum ſuprem. Appellat. Judicii Dresdæ Aſſeſſor. Obiit Catarho ſuffocativo an. 1629. d. 16. Novemb. (f) Reip. Patriæ Syndicus, cujus egregia de Rebus Urbis & Provinciæ Collectanea curia Vratislavienſ. ſervat. Natus Vratisl. 1618. d. 4. Nov. de quo Cunradus:

Civibus Aſſigii Reſponſa Oracla fuerunt:

Obiit an. 1676. d. 10. Maji. Officii, cui optime ſatisfecerat, Anno XX. Icon & Elogium in Schœbelii decore Vratislav. extat.

(g) Pa-

(g) Patre Henrico, matre Martha Frœlichia Vratisl. 1581. natus: Legum ſtudiis Francofurti ad Viadrum & Tubingæ operam dedit; Poſt iter Gallicanum Fabrum amicum in Sabaudia viſitavit, Italiaque peragrata præſtantiſſimis ubique viris innotuit: Reverſus in Germaniam, utrumque ſuum ad Fabrum librum ſub Titulo: Apicis veræ Jurisprudentiæ &c. Rulandiis imprimendum transmiſit, & Diſputationes de Jure Epiſcopatus Vratisl. & Jurisdictione, qualis in Sileſia eſt, addidit. Practicus inde Suidnicii conſedit, commune fere Sileſiæ Oraculum, inde Vratislaviam cum ſuis ſe contulit. Cum Henelio ei amicitia optima interceſſit: obiit an. 1631. d. 17. Mart. Antonio filio variolis vix horæ ſpatio ante patrem defuncto. Scripſit Commentarium: De Jure R. Bohemiæ hæreditario: Ill. ad Anton. Fabrum libros, & Controverſias Forenſes: vid. Henelii & Cunradi Sileſ. Togatam. Excerpta ex libris ad Fabrum edidit Seidelius JCtus patriæ Reip. à ſecretis an. 1721. mortuus, in appendice ad Obſervationes Practicas: Vitam vero Henelius in Sileſ. Togata lib. VI. (h) Natus an. 1635. d. 6. Mart. ſtudiis primum in Gymnaſio Magdalenæo, inde in Academia Helmſtadienſi & Lipſienſi incubuit, Conringii, Schacheri, & Swendendörferi auditor. Redux in Patriam JCti integerrimi & induſtrii nomen meruit, an. 1693 à Scabinis, an. 1703. à Senatu ad ſecreta vocatus. Obiit an. 1705. d. 10. April. monumento à Mart. Hankio auctus, quod in volumine XLVI. locum occupat, relinquens opera MSta: Hiſtoriam JCtorum Germanicorum ab Eccardo Repkovio ad Chriſtoph. Henſcherum usque, Reip. Vratisl. Syndicum, & aliud volumen vitarum JCtorum ab Irnerio ad annum usque 1688. (i) Ita Rapoldus in Hiſt. MSta de Illuſtr. Sileſiæ Ducatu: Johannes Gallicus Vratisl. Med. D. inſignis, atque Alberti Ill. Ducis proprius Medicus, in celeberrimo Archi-Gymnaſio Viennenſi Academiæ Magiſtratum geſſit, & creatur Rector an. 1394. Familia vero Gallicorum, qua ortus erat, jam an. 1272. Vratislaviæ floruit, cum Eberhardus Simonis frater Judex Curiæ apud HENRICUM IV. DUCEM eſſet, quod ex Privilegio eodem anno edito cognovi. (k) Patre Chriſtophoro Krafft & matre Anna Biedermannia Vratisl. an. 1519. d. 20. Novemb. natus, Wittebergæ ſexennium ad Lutheri menſam exegit, cujus ſuaſu Medicinæ ſtudium ſibi proſequendum

elegit, amicus Camerarii, auditor Joan. Bapt. Montani in Italia, cujus Conſultationes Medicas edidit: rediens, urbique Phyſicus creatus ad Aulam Cæſaream à FERDINANDO I. IMP. vocatur, cui & filio MAXIMILIANO II. Medicus morituris adſtitit, inde & à nepote RUDOLPHO II. eadem dignitate donatus. Eruditorum communem applauſum in & extra Germaniam meruit, hocque ſibi Diſtichon poſuit:

Cæſaribus placuiſſe tribus non ultima laus eſt,
Me pater hac ornant, filius atque nepos.

Obiit demum vir omni laudum præconio major (cujus elogium Henelius Ill. Sileſ. Tog. curatius edidit) Vratislaviæ an. 1555. d. 19. Octobr. inque templo Eliſabethano conditus, hoc Epitaphium accepit:

Joanni Cratoni à Kraffttheim III. S. S. S. Imppp. Conſiliario & Medico intimo die XIX. Octobr. in Chriſto pie defuncto ac Mariæ Scharffianæ à Werth animam ſuam DEO commendans die III. Junii filius Joannes Baptiſta Crato mortalitatis memor hoc fieri curavit. Obierunt A. MD - - - -

(l) Vratislavienſis, Medicinæ D. qui Chronico Bohemiæ Germanico, quod Wittebergæ an. 1587. edidit & Senatui Vratislavienſi dedicavit, innotuit. (m) Vratisl. an. 1577. natus, itineribus Europam fere omnem, imo Aſiæ partem emenſus, Baſileæ Doctoris Phil. & Med. gradum adeptus, Eliſabethani Gymnaſii Rector & reliquarum Scholarum Inſpector fuit, donec in Upſalienſi Sueciæ Academia Med. Facult. P. P. & Archiater Regius factus. Vitam Freherus habet: quædam Cunradi Sileſ. Togata. Edidit Decadem ſacram Canticorum & Carminum Arabicorum: quatuor Evangeliſtas Arabice, Grammaticam Arabicam: & de vero Uſu & Abuſu Medicinæ librum. Obiit Upſaliæ an. 1640. d. 5. April. (n) Parentibus tenuioris ſortis an. 1572. d. 25. Novembr. Vratisl. natus altius emerſit, ita ut ejus fama omnem Italiam Galliamque pervolaverit: Wittembergæ Phil. & Med. D. honore auctus eſt, inde Archiatri Electoris dignitate. Opera ejus quarta vice an. 1666. Lugduni Gallorum prodiere, ipſe vero an. 1637. d. 25. Jul. obiit. (o) Philipp. Jacobus Sachſius à Lewenheimb an. 1627. Auguſto menſe Vratislaviæ in lucem editus, Lipſiæ operam ſtudiis

diis dedit, inde Italiam perluſtravit, & Patavii Med. D. renunciatus, Lipſiam rediit, ſed in Patriam vocatur, ibique Phyſicus & Societatis Naturæ Curioſum Membrum. Obiit an. 1671. cum Gammarologiam, Ampelographiam & Oceanum Macro-Micro-Coſmicum edidiſſet. (p) Natus Vratislav. 1519. de quo Henelius in Sileſ. Togata MSta. Hiſtoricus, Orator & Poëta: Academiæ Wittebergenſis & Gryphiswald. P. P. inde Gymnaſii Gorlicenſis, denique Eliſabethani in Patria Rector, & reliquarum Scholarum Inſpector. Obiit an. 1581. Melanchthoni amiciſſimus. Extat imago Viri de Gymnaſii Eliſabethani Profeſſore Hiſtoriarum legato quodam bene meriti, in Atrio Bibliothecæ Rhedigerianæ. (q) Qui editis felicis Ingenii Monumentis, rara inter litteratos felicitate LEOPOLDI M. ſummi Orbis Monarchæ gratiam, Illuſtrium favorem, communem eruditi Orbis applauſum meruit. Vitam, ſcripta, inſignemque famam ſucceſſor ejus Gottlob Kranzius egregio monumento exhibuit: quod locum LXVII. inter Monumenta Hankia occupat.

§. 13. Plures quidem ſuperſunt viri numeroſa gloria digniſſimi, quorum tamen origo vel urbi non debetur, vel fama his paginis jam comprehendi nequit: Sunt ex iis (a) Dudithius, (b) Henſcherus, (c) Corvinus, (d) Henelius, (e) Lohenſteinius, (f) Gryphius & (g) Fibigerus.

NOTÆ.

(a) Cujus elogium Henelii Sil. Togata MSta lib. I. tradit: Vitam vero & Epiſtolas Gottlob Kranzius collegit, ſed opus adhuc ineditum eſt. Budæ an. 1533. natum, Vratislaviæ an. 1589. denatum eſſe omnibus conſtat. Quis vero quantusque fuerit, ex Epitaphio quod ædem Eliſabethanam nobilitat, addere libet. III. Impp. FERDINANDI I. MAXIMILIANI II. & RUDOLPHI II. Conſiliarius & Orator primarius, ſummis honoribus tum ſacris, tum profanis, legationibusque ampliſſimis apud exteros Reges & Dynaſtas maxima cum laude perfunctus, cariſſimus omnibus, adverſus nemini, cunctis admirationi fuit. Conjugem habuit

Eliſabetham ex illuſtri & ampliſſima Sboroviorum familia oriundam, cum qua decennium exegit. (b) Natus Monſterbergæ d. 17. Decembr. an. 1578. parentibus Bartholomæo & Doroth. Swollin honeſtæ ſed tenuioris conditionis: Reinero Reineccio & Henr. Meibomio Helmſtadii familiaris: Joachimi à Schulenburg Ephorus demum ex voto Senatus Vratislav. cui ob Stipendium acceptum obſtrictus erat, Francofurti cis Viadrum J. U. D. renunciatus Vratislaviam vocatur, Andreæ Reuſſii Secretarii locum occupans, inde Syndici dignitate auctus, demum Conſiliarii Cæſarei & Ducatus hujus Procancellarii, obiit an. 1620. d. 9. Octobr. Elogium Henelii Sil. Togata IV. no. 41. habet. add. Sileſiogr. Renovatam Tom. I. cap. 7. (c) Noviforenſis, Morenbergeri Secretarii Vratislav. locum an. 1518. ultimo Januarii die occupabat, ſtudiis poëticis, philologicis & juridicis clarus. Obiit an. 1527. Vitam & Scripta de Sileſiis indigenis eruditis cap. 67. Hankius noſter recenſet, inter quæ ad Claudii Ptolemæi Tabulas Cosmographia eminet, Dom. Marii nigri Veneti Comment. Geographicis juncta, qui Baſileæ 1557. fol. prodiere. Adde Henelii Sil. Togat. X. & Pancratii Vulturini Panegyricum de Sileſia & Bresla. (d) Neoſtadio ad Prudenicam fl. ortus an. 1584. Vratislaviæ & Jenæ ſtudiis operam dedit, emenſisque Germania, Belgio, Gallia, ac Italia Patavii Doctoris gradum meruit: in patriam redux Monſterbergenſis & Francoſteinienſis Procancellarius factus, inde Syndicus Vratislavienſis, Conſiliarii Cæſarei & Lignicenſis titulo inſignis, qui, dum Sileſiæ & Vratislaviæ æternitatem prorogare ſtuduit, ſuam quoque adeptus eſt: Obiit an. 1652. Plura de ſcriptis & vita ejus Præfatio ad Sileſiogr. Renovat. continet. (e) Illuſtri viro originem oppidum Nimbſchienſe an. 1635. dedit, Dux Olsnenſis ex Academiis & itineribus reduci Conſiliarii dignitatem, Vratislavia Syndici munus, cui ad an. usque 1683. 4. Kalend. Maji ſua cum laude & Reipublicæ emolumento ſummo præfuit, obiit illo die apoplexia tactus vir Neſtoreis annis dignus. Famam non intermorituram Poëſeos, Eloquentiæ & Hiſtoriæ ſtudio ſibi paravit, amorem inter ſuos eundem, eo quod in mandatis ſibi negotiis & ad Aulam Cæſaream legationibus ſemper ſe virum præſtiterit. Vid. Sileſiogr. Renovat. cap. 7. Tom. I. in notis ad Nimitium. (f) Chriſtianus Andreæ fil. Provincial. Ordinum

num Glogovienſium Syndici, an. 1649. d. 29. Septembr. Frauſtadii natus, Glogovii à parente JCto peritiſſimo optime educatus, inde ad Gothanum Gymnaſium profectus eſt, ex quo abſoluto triennio Jenenſem Academiam adiit, an. 1670. reverſus in Sileſiam, mox in Alſatiam Argentoratum digreſſus, magnis viris adhæſit, inde Vratislaviam redux optime de litteris & Gymnaſio Magdalenæo meruit, an. 1706. Kalend. Mart. demum defunctus, ejusdem Gymnaſii Rector, Profeſſor & Bibliothecarius. Monumentum illi Hankius poſuit, quod locum L. in Monum. Hank. occupat, & plura de ejus vita continet. (g) Francoſteinii an. 1656. ortus, ſacri ac militaris Ordinis Crucigerorum cum rubea ſtella per Poloniam & Sileſiam Magiſter, & ad D. Mathiæ Prælatus, an. 1712. obiit, aſſiduitate in Hiſtoria patria adornanda nulli ſecundus, quod notis ampliſſimis ad Henelii ab Hennenfeld Sileſiographiam teſtatus eſt.

§. 14. Ortum Academiæ LEOPOLDINÆ, quæ ſub (a) cura & profeſſura Patrum Societatis JEſu eſt, LEOPOLDUS M. dedit: duobus quoque (b) Gymnaſiis totidemque Bibliothecis urbs inclareſcit, ex quibus (c) Eliſabethana Rhedigerianæ nomen habet. Nec deeſt novæ Urbi Schola, cui Bibliotheca MStis Rampuſchianis referta decus addit. Præterea in (d) Inſula D. Joannis Eccleſia Cathedralis egregium librorum theſaurum ſervat, quem anno quidem 1632. Suecorum armata manus disjecit, noſtra tamen ætas probe auctum ornatumque videt, lugente adhuc damna tunc paſſa, ea, quæ ad B. Virginem Canonicorum Regularium S. Auguſtini erat Bibliotheca. Habent & S. Adalberti, Corporis Chriſti, Dorotheæ &

Antonii ædes Codicum imprimis MStorum apparatum, ſed illi vix parem, quo Hoſpitale S. Mathiæ Ordinis Crucigerorum, & Canonici Regulares Præmonſtratenſes ad S. Vincentium gaudent: quæ vero in Arce Cæſarea (quæ nunc Patrum S. J. poſſeſſio eſt) & ad S. Hedvvigen extat ſupellex ab aliquot demum annis crevit. Inter privatas nuper Logaviana (e) famam meruit, aſt quæ noſtra tempeſtate VRATISLAVIÆ Muſea impreſſorum librorum ſelectu & MStorum raritate, numis denique, quibus Antiquitatis Romanæ Græcæque ſtudium effloreſcit, inſignia pateant, poſteri addant, nos viventium dicere vetat modeſtia.

NOTÆ.

(a) Uti verba Programmatis ſunt, quo Frider. Wolf e Soc. JEſu an. 1702. duodecima menſis Novembr. ad audiendum Orationem auſpicalem invitabat. (b) Eliſabethano & Magdalenæo. (c) A Fundatore Thoma à Rhediger & Sliſa, qui eam XVII. aureorum millibus impenſis collegerat, deſcriptam Gottlob Kranzius an. 1696. dedit: de Magdalenæa Chriſt. Coleri Oratio Auſpicalis extat, eodem Anno impreſſa. (d) De hac & ſequentibus vide Sileſiogr. Renovatæ Cap. VI. §. 19. in notis. (e) Imo Schaffiana & Tarnaviana.

§. 15. Itaque portum conſecutus ſum, dixi, quæ ad Lemmata exigua ſufficiant, plura qui cupit, me pauca ſaltim Ducatus & urbis VRATISLAVIENSIS hiſtoriæ capita attigiſſe, non eam integram, vix

vix uno volumine explicandam edidiſſe ſciat. Topographiam Ducatus Pohlius habet, urbis Stenus Bregenſis, nunc primum luci datus, damnavi majori ut aqua, igne & peſti urbi illata Annales & Hemerologia ſiſtunt, hinc ſilentio præteream, ne formam propoſiti excedam: Rerum Eccleſiaſticarum ordinem omnem & fata ſingula cumulatius tradere inſtituti non erat, cum civilium negotiorum cura nobis incumbat: Cæterum id efficere fui conatus, non ut erudiam cives, quibus major rerum noſtrarum eſt ſcientia, nec ut propriæ laudi inſerviam, quem nunquam mihi laborum meorum finem proponam, ſed ut publico monumento amorem in patriam commonſtrem, & inter noſtros excitem illos, qui (uti abunde conſtat) omni facultate Hiſtoriam patriæ urbis ſcribendi pollent, ut præteritam & præſentem VRATISLAVIÆ ætatem ab oblivione hominum atque à ſilentio vindicent.

*

* *

Voto finiendum ſit: Cuſtos ac Autor Imperiorum DEUS, qui in ampliſſimum terrarum Orbis faſtigium GENTEM AUSTRIACAM extulit, ean-

eandem ſervet, protegat, æternumque Germaniæ imo tot Regnis largiatur, CAROLOque VI. P. F. A. P. P. functo longiſſima ſtatione mortali FILIOS SUCCESSORES deſtinet eos, quorum humeri tantæ terrarum moli ſuſtinendæ ſufficiant, qua ipſius ſuffeciſſe lætamur: Sic Sileſia nunquam improviſis doloribus lacerata perpetua pace efflorescet, & VVratislavia provinciæ caput milleſimum annum imo plures priſca hilaritate & effuſo omnium applauſu ſuperabit,

FIAT FELICITER!

IN-

INDEX RERUM,
quæ
IN LEMMATIBUS HISTORICIS,
AD
DUCATUM ET URBEM VRATISLAVIENSEM
pertinentibus,
occurrunt:

SECTIO I. DUCATUS VRATISLAVIENSIS SUB DUCIBUS.

CAP. I. De Ducatu & urbe quædam præmittuntur.
§. 1. Amplitudo & fines Ducatus.
§. 2. De urbis origine: an Slavis jam innotuerit? an Budorgis?
§. 3. Mieslao eſt antiquior: ſed tota cum documentis omnibus an. 1200. periit: hinc vera origo ignoratur.

CAP. II. Res Sileſiæ à Piaſto usque ad Miecislaum.
§. 1. De Lygiis & Slavis.
§. 2. De Piaſto & Mieslao.
§. 3. Mieslaus urbi formam dedit: & futuram Epiſcopatui ſedem deſtinavit: Ratio, quare non ab initio Epiſcopi ſedes?

CAP. III. Res Sileſiæ & urbis à Mieslao ad Vladislaum usque II. Sileſiæ Ducem.
§. 1. Boleslai Chrobrii bella: an ab Ottone III. coronam acceperit? Vratislavia jam an. 1017. ad præſtandam Principi ſuo ſecuritatem fuit opportuna.
§. 2. De Mieslao II. Bretislaus Bohemorum Dux Vratislaviam ea ætate jam opulentam & inſignem an. 1038. occupat, ſed incenſam reſtaurat: Dux Sileſiæ retinuit: ſed an. 1052.

Casimiro I. ex pacto reddit: qui arcem Regiam ædificat: & Episcopatum Vratislaviam transfert.

§. 3. Boleslaus Audax indignationem Romani Pontificis meretur: Vladislaus I. Magnum Comitem Vratislavienſibus Capitaneum dedit: Urbs Sbigneum naturalem Vladislai fil. fugientem recipit: hinc diſſidia Polonos inter & Sileſios: Boleslaus III. Henricum V. Imperat. an. 1109. uno ab urbe lapide vincit:

§. 4. Vladislaus II. ſolus imperare mavult: in exilium abire cogitur: ubinam mortuus?

§. 5. Mater ejus Siwislawa: Noverca Salomea, Comitis de Bergen filia: Conjux Adelheidis Henrici IV. filia.

CAP. IV. Vratislavienſis Ducatus ſub Boleslao I.

§. 1. Filii tres Vladislai II. exulis autoritate Friderici Barbaroſſæ bonis paternis reſtituti: Sileſiæ inter illos diviſio: de Italica expeditione Boleslai: Leubuſenſe Monaſterium & Lignicum ornat: ejus an. 1201. mors.

§. 2. Filius Jaroslaus Epiſcopus Vratislavienſis: Ducatu Niſſenſi Epiſcopatum auget: Filius Henricus Barbatus ſuccedit.

CAP. V. Henricus I. Barbatus & Henricus II. Pius Duces Vratislavienſes.

§. 1. Henrici I. lites cum Principibus Poloniæ: Crosnæ an. 1238. in itinere obit.

§. 2. Ejus conjugium cum S. Hedwige: Monaſterium Trebnicenſe conditum: ipſa in ſanctorum numerum relata.

§. 3. Irruptio Tartarorum: Obſidio Vratislavienſis: Urbs DEI præpotentis ope liberata: Prœlium in planitie Lignicenſi: Dux Henricus ſuccumbit cum flore nobilitatis Sileſiacæ an. 1241.

§. 4. Inventum corpus Vratislaviæ terræ mandavit Anna

Anna conjux: tres filii ditiones paternas dividunt: Vladislaus Quartus creatur Archi-Epiſcopus Salisburgenſis.

Pohlius in notis corrigitur.

CAP. VI. Henricus III. & Henricus IV. Duces Vratislavienſes.

§. 1. Henrici III. cum Boleslao Calvo Lignicenſi bella: hic tribus obſidionibus ſed fruſtraneis urbem repetit: ejus captivitas & liberatio.

§. 2. Merita Henrici III. in urbem Vratislavienſem: de Jure Magdeburgico introducto: Henrici mors ex veneno.

§. 3. Unus ex duplici matrimonio filius Henricus IV. ſupereſt: ejus tutor patruus Vladislaus Archi-Epiſcopus Salisburgenſis: Cives inde Vratislavienſium præcipui curatores.

§. 4. Merita Henrici IV. in urbem Vratislavienſem: de Jure Stapulæ: ejus an. 1277. captivitas: electus Poloniæ Princeps an. 1290. obit.

CAP. VII. Henricus V. & Henricus VI. Duces Vratislavienſes.

§. 1. Henricus Craſſus Lignicenſis ſuccedit, nobis V. amicus urbi Princeps.

§. 2. Captus à Conrado Glogovienſi: magna terrarum ſuarum jactura liberatur: Mors an. 1296. ſecuta.

§. 3. Henricus VI. minorennis patrem excepit: Tutor Boleslaus Suidnicenſium Dux: inde Henricus de Wirbna Epiſcopus Vratislavienſis: Vratislavia an. 1311. Sileſiæ caput facta eſt: de Advocatia hæreditaria, vulgo Stadt-Vögtey; vetus & nova civitas conjunguntur: Injuriæ, quibus Henricus VI. à Boleslao fratre vexatur: hinc Ducatum an. 1327. Boëmiæ Regno infert.

§. 4. Moritur ἄπαις an. 1335. Joannes Boëmiæ Rex urbem occupat.

SECTIO II. Ducatus Vratislavienſis ſub Boëmiæ Regibus ex diverſis familiis.

§. 1. De Transactione Caſimiri Polon. Regis cum Joanne Boëmiæ Rege an. 1339.

§. 2. JOANNES Rex urbem ligneam inventam lapideam reddit: de amplificato ejus gratia Viadro: in prœlio Creſſiacenſi perit: CAROLUS IV. jure monetæ, nundinis & pomœriis auget; confirmatis Privilegiis auream Bullam appendit.

§. 3. Sub WENCESLAO lites inter Senatum & populum exortæ: ſub fratre SIGISMUNDO plebs curiam expugnat, & rempublicam dilacerat: ejus in urbem adventus: reorum ſupplicium: novæ opificum leges, die neue Handwercks-Ordnung.

§. 4. SIGISMUNDI in urbem amor: Legati Vratislavienſes ad Concilium Conſtantienſe: Rubri ſigilli facultas Senatui conceſſa: filia ejus unica Eliſabetha ALBERTO II. ARCHIDUCI AUSTRIÆ nubit: ejus in urbem an. 1438. adventus: inopina mors.

§. 5. LADISLAUS Poſthumus; bellum in Pannonia inteſtinum: Comitiis Vratislaviæ an. 1454. intereſt: Capitaneum urbi dat: veneno Rex juvenis XVIII. annorum occidit.

§. 6. GEORGIUM PODIEBRADIUM Vratislavia dominum non agnoſcit: ſed MATHIAM CORVINUM Pannoniæ Regem: ejus in urbem an. 1469. adventus: Senatum contra tot plebis inſultus Regia oratione defendit: Præfectum urbi Baronem Sternbergenſem conſtituit: Urbem, ingenti Polonorum & Bohemorum exercitu obſeſſam, admiranda virtute præſtat incolumem: Ejus repentina mors: Henricus à Dönnigk urbis Ducatusque Capitaneus gladio in foro percuſſus.

§. 7. VLADISLAI MATHIA defuncto obſequium ſubit urbs & Ducatus: Commerciorum Vratislavienſium amplitudo: Conſtitutio edita, quæ Sileſiæ Pal-

Palladium audit, vom Ober- und Fürſten-Recht: Transactio Colowratina: Urbi Privilegium Academiam erigendi conceſſum: LUDOVICO FILIO an. 1511. Sileſia verba dat: Dux Monſterbergenſis Vratislavienſium hoſtis: Rex ad Mohazium an. 1526. cæſus: De Cœnobio S. Vincentii.

SECTIO III. DUCATUS VRATISLAVIENSIS SUB BOEMIÆ REGIBUS AUGUSTA AUSTRIACA STIRPE ORIUNDIS.

CAP. I. FERDINANDUS I. MAXIMILIANUS II. RUDOLPHUS II. MATHIAS.

§. 1. FERDINANDI I. in urbem adventus: quo amore ipſam fuerit amplexus: de Jacobo Epiſcopo & Achatio Haunoldo: Conſtitutio edita ſecuritati publicæ proſpiciens, der Land-Frieden: CAROLUS V. IMPEPERATOR egregia liberalitate urbis inſignia auget: Lites inter Sileſios & Bohemos ortæ ex illorum votis compoſitæ: FERDINANDI mors & elogium.

§. 2. MAXIMILIANUS II. comitiis an. 1563. intereſt: benignum animum Auguſtanæ Confeſſionis miniſtris teſtatur: electus Poloniæ Rex in comitiis Ratisbonenſibus obit: RUDOLPHUS II. litteras Majeſtaticas Sileſiis concedit: de Conſtitutione, quæ vocatur: die Policey-Ordnung.

§. 3. MATHIAS uno omnium an. 1611. applauſu exceptus: Comitiis intereſt: inter belli Bohemo-Germanici initia obit.

CAP. II. FERDINANDUS II. FERDINANDUS III. FERDINANDUS IV.

§. 1. Turbæ ingentes ob electionem Friderici Palatini exortæ Sileſiam vaſtant: quæ inter illas Vratislaviæ fata, egregia Udalrici L. B. de Schaffgotſch fama.

§. 2. FERDINANDUS III. Janum cluſit: de Suecis in Sileſia commorantibus: Vratislavia ſingulari CÆ-

SARIS gratia, tamjin politicis & militaribus negotiis, quam in administranda justitia, à Ducatu penitus separata: de articulo XIII. Pacis Osnabrugensis: FERDINANDI IV. inopina mors.

CAP. III. LEOPOLDUS M. JOSEPHUS.

§. 1. LEOPOLDUS litteris & armis M. Compactata Silesiam inter & Poloniam: de Privilegiis Vratislaviæ concessis: Academia an. 1702. condita: post ingentes victorias an. 1705. defunctus.

§. 2. JOSEPHUS AUGUSTA munificentia Religionis exercitium Silesiis August. Confess. addictis liberum fore testatur: de Judicio urbis Vratislaviensis Ecclesiastico: Bohemia iterum cum Imperio conjuncta: præmaturum OPTIMI PRINCIPIS fatum.

CAP. IV. CAROLUS VI. P.F.A.P.P.

§. 1. De Herculeis AUGUSTI CÆSARIS laboribus.

§. 2. De LEOPOLDO ARCHID. AUSTR. PRINCIP. ASTURIÆ an. 1716. nato & denato: LEOPOLDI M. moribundi votum pro salute optimi FILII CAROLI.

SECTIO IV. De dignitate urbis & Ducatus Vratislaviensis.

§. 1. AUGUSTO CAROLO subest.

§. 2. Ducatum Vratislaviensem RUDOLPHUS I. Imperii feudum dixit: est inter hæreditarios Regis Boëmiæ: EPISCOPUS Vratislaviensis unde Dux Nissensis? de ejus in Comitiis voto: de ejus moneta, Consistorio & Judicio Aulico: urbs immediate (uti vocant) ad Boëmiæ Regem spectat: de ipsius Privilegio inappellabilitatis.

§. 3. EPISCOPATUS S. Joannis Insulam occupat: qui Principes & Archi-Duces illi præfuerint? hodiernus EPISCOPUS FRANCISCUS LUDOVICUS simul ARCHIEPISCOPUS TREVIRENSIS est.

§. 4. Regis Boëmiæ supremi utriusque Silesiæ Ducis suprema in urbe nostra curia: quis illi Capitaneus præsidere debeat? de CELSISSIMO COMITE ANTONIO DE SCHAFFGOTSCH, qui PIASTUM inter imagines suas refert: de Cameræ Regiæ Collegio: de judicio speciali, quod res ad Ducatum Vratislaviensem pertinentes discernit: De Collegio, quod commerciorum amplitudini prospicit.

§. 5. De Magnifico urbis Senatu: quot membris constet? qui ad Reipublicæ gubernacula accedant? ex quibus Privilegiis? de Syndicis & Secretariis: de Cancellaria: Senatores sunt vel Consulares vel Scabini: de Commissariis; de Ædili: de ærario præfectis: de Præside, qui nunc HOFFMANSWALDAVIUS.

§. 6. Urbs legatos mittit ad Comitia: quis illorum locus? qui eo munere fungantur?

§. 7. De Ducatus præfectura: Senatus illam III. Sæculis absolutis AUGUSTO FERDINANDO III. jubenti reddit: hinc dignitas Præsidis exorta: de meritis Stanislai Aichheuseri & Joannis Peinii in urbem patriam.

§. 8. De præsidiario urbis milite: de Civium XII. cohortibus & armamentariis.

§. 9. Transgressio ab armis ad litteras.

§. 10. De eruditis Vratislaviensibus, quorum vitas Mart. Hankius memoriæ prodidit.

§. 11. His accedunt Haunoldi: Sobischii: (gentis hujus origo) Jenckwizii: Rybischius: Monavius: Döbschüzius: Arzatius: Oelhafius: Peinius: (quædam de gente hac) Tarnavius: Hoffmanswaldavius: Königsdorfius: & Joh. Sigismund. Haunoldus. (adduntur quædam de ipsius MStis.)

§. 12. Ex Theologis prodeunt Moibanus: Aurifaber: Hermanni: & Neumannus; ex JCtorum ordine: Reusnerus: Assigius: Schifördegherus: Titius; ex Medicis eminent: Joh. Gallicus: Crato à Craftheim: Boreckius: Kirstenius; Sennertus: Sachsius à Lewenheimb: accedunt: Vincentius & Mart. Hankius.

§. 13. Urbi originem non debent, ipsa tamen illis famam: Dudithio: Henschero: Corvino: Henelio: Lohensteinio: Gryphio & Fibigero.

§. 14. De Academia LEOPOLDINA: De Gymnasiis & Bibliothecis urbis: de Cœnobiorum & aliorum templorum thesauro librario: de privatorum musеis.

§. 15. Mentem Autoris denuo edit, non illum historiam Vratislaviensem, sed ejus tantum Lemmata scripsisse.

*

Adduntur: Vota pro æternitate & salute AUGUSTÆ DOMUS AUSTRIACÆ.

*

α † ω!

M. BARTHOLOMÆI STENI
BREGENSIS
ORDINIS CRUCIGERORUM SACERDOTIS

DESCRIPTIO
SILESIÆ
IMPRIMIS
VRATISLAVIÆ
sub
SÆC. XVI. initium confecta,
nunc primum
ex MSto Codice edita & notis suis instructa.

AD AMICUM LECTOREM PRÆFATIO.

UNius hominis olim visendi cupiditate ab ultimis Gadibus & remoti Oceani oris in Italiam adpulisse mortalium quendam litterarum testantur monumenta, neque itineris amplitudine conquestum, sed Livio viso lætum ac hilarem in patriam rediisse; quanto majori ergo argumento, LECTOR AMICE, serenam abs TE frontem efflagitandi STENO Bregensi licet, qui non sedibus TUIS TE exire deposcet, neque ad unius hominis res gestas cognoscendas invitabit, sed quasi in altiori fastigio TIBI collocato VRATISLAVIAM SILESIÆ CAPUT lustrandam subjiciet, quæ Tartarorum immensam vim, repetitum toties Boleslai Calvi Ducis Lignicensis impetum, duorum Regum ingentes exercitus, Hussitarum denique & aliorum hostium minas sustinuit, nec illis unquam succubuit. In angulo Germaniæ ultimo sitam esse CAROLUS V. IMPERATOR confitetur, hinc in pace bellum cogitare opus erat: Silesiæ cor quidam dixere, cum & Provinciæ medium occupet, hinc omni dolore agitatur, qui corporis partes vexat, id tamen AUGUSTÆ AUSTRIACÆ DOMUI acceptum fert à FERDINANDO I. anno scil. 1527. duobus fere sæculis ILLIUS SUB IMPERIO exactis bellorum turbines tempestatesque, quæ vario tumultu EIUS exortum præcesserant, nunc imbelles dissipatasque subsidere, & Autoritatem Majestatemque TANTÆ DOMUS vereri. Hanc igitur urbem M. BARTHOLOMÆUS STENUS GEORGII FIL. BREGENSIS, Ordinis Crucigerorum Sacerdos, qui Sæculo XV. vixit, describendam operæ pretium esse putavit, & antequam eam domum ingrederetur, bene de ipsa mereri cœpit; hinc ejus originem, singulos vicos, plateas, templa, Circum maximum, fora alia, muros & pomœria, curiam, ædes denique privatas

vatas, & fata quædam ſtylo interdum ævi illius barbariem ſuperante, curatius expoſuit, resque non paucas addidit, quæ vix alio, quam in urbe nato, noſſe dantur: Diſſeruit & de reliquis Sileſiæ urbibus; quare operi, titulo in MSto deſtituto, hunc dedimus: DESCRIPTIO SILESIÆ IMPRIMIS VRATISLAVIÆ: cumque in VLADISLAO deſinat, & * DUCEM TESSINENSEM Præfecturam Provinciæ adminiſtraſſe, Duces vero Ratiborienſes adhuc ſua ætate ſupereſſe tradat, ſatis conſtare puto Sæc. XVI. inchoante opus eſſe confectum. Sed quod ** periiſſe vero videbatur ſimile, ante annos non adeo multos FRIDRICUS MENTZIUS, Philoſophus Lipſienſis, amicus integerrimus, benigno forte fato invenit, & nuper elapſo mecum benevole communicavit; hinc TIBI quoque, AMICE LECTOR, id invidere nolui, opportunum locum fore credens, ſi expoſitis urbis rebus ipſam quoque oculis TUIS ſubjiciam, cupidum illius videndi TE factum eſſe perſuaſus. Non pauca quondam ex *** STENI hujus labore in Sileſiam ſuam magnam Johannes Heſſus transtulit, quæ cum inter libros MStos Chriſtoph. Henſcheri, REIPUBLICÆ VRATISLAVIENSIS SYNDICI & HENELIO viſa fuerit, hic Bregæ deſcriptionem Sileſiographiæ ſuæ Renovatæ inferre non dubitavit, unde cum nomen Autoris in MSto nobiscum communicato deſit, non alium eſſe cognovi: Sed qui notas ad Sileſiographiam addidit REVER. FIBIGERUS, cum quædam de STENI ipſius vita Bregæ ſubjungat, ex HENELII Sileſia Togata addit: Tribus libris STENUM inſigniorum urbium & locorum deſcriptiones complexum eſſe: quæ ſi ita ſe habeant (quamvis nondum ſatis quis ſingulos viderit, & num omnes ad Sileſiæ deſcriptionem pertineant conſtet) unus erit ex tribus, (forte primus, cum ad reliquam voluminis partem Autor ſe referat) quem offero, ea lege, ut ſi benigno fato quondam & reliquos invenire liceat, eadem qua hunc reſtitutos cura TUOS faciam. Vale, LECTOR AMICE, & Muſis meis fave.

* Dux hic Teſſinenſis CASIMIRUS utriusque Sileſiæ Præfectus erat ab an. 1490. ad annum 1504. Sed an. 1516. Præfecturam recuperabat, quo tamen Dux Ratiborienſis ultimus VALENTINUS obiit.

** Ulti verba ſunt Sileſiogr. Renovatæ Tom. I. cap. VII. p. 73.

*** Obiter noto: Cunradum in Sileſia Togata circa Steni vitam p. 296. toto Sæculo aberraſſe.

Con-

Conſpectus Rerum,
quas
STENUS BREGENSIS
hoc Volumine exhibuit.

*

Deſcripſit Autor

I. WRATISLAVIAM: cujus

1. Laude exorditur:
2. Originem & exigua initia tradit:
3. Commerciorum vero ſecutam fuiſſe amplitudinem,
4. Ideoque vias ſtratas.

Inde

5. De agro urbis agit:
6. Pomœrium vetus ubi ſit indicat, &
7. INTERIOREM URBEM exponit.

de cujus

α. Foro Salium,
β. Foro Novo, &
γ. Circo maximo curatius diſſerit:

hinc

8. Ad portas & templa digreditur:
9. Partem urbis, quam CAROLUS IV. addidit, &
10. Urbem novam perluſtrat:

Ab hac recta via ad

11. Inſulam Harenæ tendit,
12. Inde ad Summum, & templa ſingula oculo non fugitivo adit:
13. Hinc ſuperato flumine Odora in Inſulas cum molis,
14. Demum in Inſulam Civium pervenit, ex qua in Urbem reverſus,
15. Numerum ſacrarum Ædium,
16. Ambitum,

17. Hoſpitalia,
18. Aquæductus, &
19. Magiſtratus deſcribit, imo
20. Res adjungit à VRATISLAVIENSIBUS geſtas.

II. ad reliquas Sileſiæ urbes progreditur,
1. à CROSNA incipiens,
2. ad TESSINENSEM usque DUCATUM, ſed
3. BREGENSEM,
4. & NISSENSEM curatius edit:
5. nec fata urbium ſilet, uti GLOGOVIÆ MAIORIS &c,

III. de Pietate GENTIS SILESIACÆ,
IV. de Fatis,
V. de Nomine,
VI. de Fluviis,
VII. de longitudine & latitudine Provinciæ agit:
VIII. quinam antiquitus eam habuerint anquirit:
IX. de Statu ejus ſub DUCIBUS & BOEMIÆ REGIBUS differit:
X. qua ratione ad Chriſtianam Fidem tranſierit, ubi pauca quædam de Eccleſiæ incunabilis deeſſe videntur.

*

(o)




A. Prætorium
B. Circus Maxim.
C. Forum Salium
D. Forum Norum
E. Vrbs nova.
F. Insula harena
G. Summum.
H. Insula Civi
um.
a. Porta S. Nicolai.
b. Porta Svidnicensis.
c. Porta Olaviensis.
d. Porta Latericia.
e. Porta Arenaria.
f. Porta Odrensis.
* Templorum nomina L. A. & ipso Steno cognoscat.
Odera
Ola

α † ω!

VRATISLAVIAM Sileſiæ metropolim & aquilonarium gentium unicum quondam & celeberrimum in mediterraneis emporium idcirco ſeorſim & exactius deſcribendam ſuſcepi, quod ejus fortuna paulatim vergere & in deterius labi cœpit, non tam ſua culpa, quam finitimorum regnorum, principum, urbium invidia, quibus ipſius incrementum tanquam aculeus eſt in oculis; qui, quod ipſa vetus emporii jus auctoritate Imperatorum ac Regum confirmatum repetere conſtituit, occaſionem perſequendi nacti concorditer in eam inſurgunt, habentia etiam ſubtrahentes ei commercia, unde quoque conſpirant adeo, ut minimum quodque oppidulum, omnisque latronum caterva, quibus erat antea formidini, nunc ut graviter & undique preſſæ audeat inſultare, & eam impune laceſſere, quæ tanti fuit olim momenti, ut ſola provinciam totam quò vellet ſecum traheret, Regnaque & bellaciſſimos Reges committeret, & quaſi ſub obtutu ſuo pro ſe decertantes ſpectaret: Hanc igitur ipſam ſi quando (quod DEUS omen avertat) in priorem ſtatum deprimi, quod omnes ſua ope contendunt, contigerit, hinc ſaltem poſteris appareat, qualis aliquando VRATISLAVIA quantaque fuerit: CUIUS Conditorem VRATISLAUM quendam nomen ipſum indicat fuiſſe, Ducemve Luſacenſem, qui *à Neclam fratris filio prœlio victus interiit, multo ante, quam Chriſtianam fidem Sileſia reciperet, an divi Venceslai patrem, an eum, qui poſt annos mul-

LAUS: & CAUSA INVIDIÆ.

CONDITOR.

* Balbinus Miſcell. Decad. I. lib. III. cap. 17. §. 4. Ducem hunc non Wratislaum, ſed Wlaſtislaum dictum fuiſſe, & pagum ſupereſſe, qui nomen urbis ab eo conditæ ſervat, Wlaſtislaw non Wratislaw, cumulatius affirmat.

multos primus ex Duce Boëmiæ Rex est factus, an forte Poloniæ Dux quispiam (non) satis constat. Primum illud tradit historia Boëmica, quam * Eneas illustravit, victoriarum suarum in Boëmos & eorum Regem successu elatum & magnificatum ædificasse sui nominis urbem inter montes quosdam; qui profecto circum hanc urbem nulli sunt, nisi forte colles perminuti & tenues existimentur.

TENUIA PRIMORDIA.

Tenuis autem usque adeo viculus à principio fuit, ** ut Præmonstratensis Abbas, cujus tum possessio, feratur ipsam cum pago quodam permutasse, cum cœnobium illius (quod nunc extra mœnia transoderanis partibus est) eam longe præcelleret & structura & opibus. Fuisse tunc autem in loco machinas & eas compluſculas, quæ versa ab aquis rota trabes finderent in tabulas (neque enim molas, ut vulgo dicere libet, quæ serræ vi rotarum sursum ac deorsum tractæ tignum objiciunt findendum) hoc tum memorabile ac quæstuosum. Extructas demum citra flumen ternas ex diverso ædes in turrium formam quadratas, arcem dehinc in confluenti duorum alveorum Oderæ, quæ Ducis esset sedes, & hæc urbis fuisse Primordia: Mercatum postea celebrem factum apud Præmonstratense,

INCREMENTI RATIO:

quod diximus, cœnobium, quo religionis gratia ut ubi

* Sic cap. X. Hist. Bohemicæ: Quibus (successibus) magnificatus & auctus urbem condidit, inter duos montes Mednam & Pubecham, quam de suo nomine Vratislaviam nuncupavit.

** Tenuem ab initio vicum Vrodslavam s. Vratislaviam nostram fuisse ipse crediderim, an vero unquam Præmonstratensis Abbatis possessio, valde dubito, cum id temporum ordo & scriptorum Polonicorum pariter ac Germanorum autoritas infringat: Anno enim 1103. Petrus Danus Præmonstratense cœnobium demum condidit, Ditmarus vero Merseburgens. jam ad an. 1017. WORCIZLAVAM civitatem appellat, Dlugossus quoque ad an. 1038. VRATISLAVIAM Gnesnæ & Posnaniæ parem fuisse tradit: Idem testatur Dubravius VII. Hist. Bohem. ad annum hunc. Bene itaque Stenus noster addidit: FERTUR Abbatem Præmonstratensem ipsam cum pago quondam permutasse.

ubi divorum reliquiæ bis quotannis ostenderentur, ingens agrestium Polonorum turba confluere solebat, eodem etiam Teutones è Germania profectos merces suas magno distrahere vel cum multo pretiosioribus commutare consuevisse lucro: igitur invitatos domicilia in citeriore vico, quem dixi Vratislai nomine vocatum, constituisse, & in annos plura. Nam citra Cœnobium fluminis inundatio, qui maxime illuc incumbit, & locus paluſtris ædificare non sinebat, quum circa multæ forent commoditates, tunc eorum * Ducem, videntem rerum & opum incrementum, ecclesiam diu vagam eo evocasse, inque sua insula, cujus arcem insideret, locum eidem manentem dedisse, quam ut in medio urbis & Cœnobii cum utroque pontibus hinc & inde fabricatis conjunxit, hanc demum majoris augmenti causam fuisse. Quum enim ecclesiam ut pastoralem & cathedralem multi tunc fideles & vera fide fervidi ex universa diœcesi sæpe viserent, & vel devotionis, cum patronorum essent festa, vel pietatis, cum dedicatio celebraretur, vel pœnitentiæ gratia, cum quadragesimales currerent dies, eam frequentarent, instituit civitas iisdem diebus nondinas, ut, qui religionis gratia venissent, contrahere simul, & aut emere aut vendere possent; ita cum utraque

NONDINÆ:

T alte-

* Regem potius, CASIMIRUM I. qui an. 1052. (iterum ante exstructum Cœnobium Præmonstratense) Episcopatum in commodam S. Joannis insulam transtulit, & arcem Regiam (die Burgk) condidit, uti Sect. I. cap. 3. §. 2. litt. h. in notis Lemmat. Histor. diximus. Quæ vero de nondinis, ob affluentem solenni Sanctorum festivitate populi numerum, institutis, Ecclesiamque cum urbe simul crevisse autor refert, omnino argumentis suis non carent. Addi meretur, institutum fuisse an. 1149. forum in atrio monasterii S. Vincentii à Boleslao Rege Polon. cum is Ecclesiam hanc consecraret, & dotaret: An. vero 1214. Henricus Barbatus Dux Sleſiæ & Dominus Wratislav. forum hoc commutavit, pro novo foro in Wratislav. Olsnie & Domslau de qua commutatione litteræ extant. (Ob has forte Steni sententia de Vratislavia cum pago quodam permutata exorta est.)

alteram juvaret ſimul eccleſia ſimul civitas aucta non modice crevit. Sed de eccleſia poſterius:

COMMERCIA: Nunc interim de civitate, ad quam ex ultima pene ſeptentrione & orientalibus Europæorum concurſum eſt, ab his potiſſimum, qui commerciorum cupidi eſſent, huc allatum, quicquid pretioſum aut utile tota Sarmatia gereret; huc Rutheni, Valachi, Lituani, Pruteni, Maſovitæ, eque majori minorique provincia Poloni ſuas merces, quas eis tantum natura non induſtria parat contulerunt; huc è contra ex univerſa Germania, quæ arte fiunt, ad uſum cultumque vitæ veſtitumque ſunt advecta, actumque plurimum permutationibus rerum, æqua æſtimatione, eo quod numum communem non haberent. Nam tametſi tum Cracovia quoque floreret, tum quia longius abeſſet à Germania, timuerunt eo usque Teutonici mercatores procedere; hunc ergo limitem ad Oderam potius habere placuit, quem nec his nec illis transire liceret: inde veriſſimum eſſe judico, omnem totius Sileſiæ, ſi qua eſt, ut certe eſt, humanitatem, omnem opulentiam, culturam denique omnem à WRATISLAVIA cepiſſe, ubi maxima tantarum circum circa nationum commercia primum celebrari cœperunt, cæterasque omnes urbes poſt eam creviſſe. Tum ergo maxime laboratum eſt, ut facilis eſſet acceſſus, ideoque lapide rotundo & ſilice ſtratæ longiſſimis aggeribus viæ, facti ſublimes trans paludes & flumina pontes, plures Poloniam verſus, ubi declivitas aquis plurimum ſtagnat, quorſum & Odera ſolet inundare: qua parte urbis acceſſus difficilior niſi talibus viis adiri non poteſt, nec extra tantum ſed intra etiam urbem pontibus opus erat, quum humerent vici quidam ad Ode-

VIÆ STRATÆ:

Oderam deducentes, quibus adhuc pontium nomen durat, ut fabrorum pons, ſutorum pons vocentur, ubi ejus generis opificum multi domos habent.

LOCUS & AGER URBIS. Locus non urbis modo, verum totius etiam circumjacentis agri planus eſt, circa fluvium prata ſunt & ſylvæ, lacusque in quos ſe leviter effundit: reliquum campus tenet frumentaceus, & propinquior urbi fertilior, cujus bonam partem velut † hortum olitorium excolunt, qui civitati olera & legumina, bulbosque miniſtrat, ejus rei cauſa plerique quaſi vicos in agro circa mœnia compoſuerunt.

POMOERIUM VETUS. Urbis ambitus ſpatium antea brevius, quantum fere majorum in Sileſia urbium eſt, concluſit, muro ſatis alto fortique, & in quo diſcurrere mœnium deſcenſores tuto poſſent. Cæterum turribus humilioribus, nec his admodum crebris: hujus boreale latus flumine, cætera foſſa cingebantur, in quam pars Oderæ derivata cum Ola pigro amne flueret, muri illius jam veteris prope dimidium adhuc pro munimento eſt, ubi fluminis brachium urbem novam ad ortum ſuperat: & ubi totus ejus impetus ad ſeptentrionem prolabitur, reliquum tectis occupatum, ædificiisque inſertum, (niſi qua portæ ſunt, quæ omnes cum turribus extant) non apparet, præterquam quod Olæ alveus, utraque ripa præmunitus, pomœrium vetus & ubi murus fuit audit, audiuntque & portæ, quæ multis viis transmittunt: non qua curribus tantum perviæ ſunt, verum qua etiam ſemitis ducunt: Intra tamen Olam & veteris urbis murum, hoc eſt in ipſo pomœrio quibusdam in partibus vici ſunt minimarum domuum,

† Unde nomen quoque die Kräutorey.

muum, qui partim ripam insident, partim muro terga vertunt, ibidem & publica stabula, ad tres pertinentia portas, in quibus equites mercenarii, aurigæque degunt, & currus & equi pabulaque eorum servantur.

URBIS INTERIOR CIRCUS:

Quod isto continetur ambitu, pars est totius urbis pulcerrima, quæ forum habet salium, forum novum, & * circum maximum. Ex his circus sexaginta præstantissimis ædibus, in quadratum dispositis, constat, quarum singulæ frontes præferunt latericio opere secundum tecti culmen fastigiatas, variis in quibusdam picturis ornatas, angulorum singuli binas plateas in divorsum ad portas mittunt; mittunt & longiora duo latera per concameratas domorum vias angustiores, in austrum, qua ad divam Dorotheam, in boream qua ad publicum carcerem ituri; Latus ejus tertium versus ortum mittit ad divæ Magdalenæ templum latam & brevem viam, quod pullorum appellatur forum, in quo lac, olera, fructus, obsonia, bulbi, ferinæ, volucrum genus omne, libri denique venduntur, ut in acierum ejusdem lateris altera ** frumentum, altera mel & cera, unde & ejus inditum nomen; habent & cætera venalia suos quoque locos, & hi à rebus vocabula. Ostendit autem spatiosus hic circus domus altissimas, quæ ternis quaternisque tabulatis in quintam in quibusdam contignationem assurgunt, fenestris multis in summum usque cacumen ordine patentibus, aut vitro clausis, inferius plurimum clatratis, subtus etiam cameræ, testudines, apothecæ & cryptæ (quæ cellaria vocantur) in publicum fores aperientes: In his

* Quem vocant den grossen Ring.
** Die Korn-Ecke:

his merces omnigenæ, unguenta, pelles, aromata, sericum, aurum, falces, arma, & quod arte fit aliunde advectum continentur. In hujus quadrati spatii medio ædificia sunt, & ipsa in quadratum dispositа, inter quæ supereminet PRÆTORIUM, ubi civitatis concilium congregatur, magnifice constructum, & triplici sublimatum concameratione, in quarum infima sub terram non nimis alte depressa * cerevisia peregrina venditur, ibi cellæ distinctæ, ibi seorsim, quo calefiunt, hyeme potorum triclinia, media vero pellionibus, ubi vestes divendant pelliceas, addicta est, eadem inceditur † mediocrium civium choreis. Inde tribunal & habitatio judicis suprema, cujus ornatissima testudo gemino sustinetur ordine columnarum, atrium patens habet albo lapide constratum, quod opulentiorum choreis, pugilum quoque spectaculo ac doctorum interdum ludis patet: hic aguntur judicia, hic civium est statio, quibus secretu opus est, huc & plebis concilium congregatur: Ibidem sed ad orientem †† sacellum est cum ara, ubi sanctæ Dorotheæ servatur caput, & sacrificia coram inituris consilia peraguntur, juxta ††† locus ærarii, quo vectigalia inferuntur. Ad hujus ædificii extima extant è secto lapide quasi turriculæ plumbeis tectæ laminis, fenestrarum tres fori partes respicientium plurimæ ferreis cancellis occlusæ sunt; ad latus ejus adhæret, quam cancellariam vocant, quæ & ipsa pars est prætorii, quippe quæ locum senatus habet, Senacula alia, in quibus

PRÆTORIUM IN MEDIO CIRCI:

CANCELLARIA:

* Cui à cerevisia Suidnicensi nomen, der Schweidnische Keller.
† Qui mos nunc abrogatus est.
†† Extat Privilegium Episcopi Preczlai super structura Capellæ hujus datum Wrat. feria V. infra festum Pasch. A. Domini MCCCXLVto. Sed nihil in illo de capite S. Dorotheæ.
††† Die Kammer.

judicum quoque Scabinorum ſedes; ibidem & civium honeſtior carcer, cui caveæ nomen eſt, quem alius ſceleratorum locus (excipit.) Totius operis tectum triplici culmine ſurgit, quod tegulis è latere vitreis & bicoloribus teſſelatimque diſpoſitis conſtat, frontiſpicio ad numerum tectorum tripliciter faſtigiato, pictu-
TURRIS: risque & horarum indicibus ornatiſſimo. Huic addita* turris à tergo, quæ totius urbis & agri ambitum longe lateque ſpeculatur, unde vigil tubicen noctu horas ſignet, & interdiu tibicines prandii cœnæque tempus præcinant: Quia vero prætorium dimidium modo longitudinis occupat, reliquum quod deeſt, quo minus totum quadratum ſit, explet area, quæ forum piſcarium ut vocatur, ſic & eſt. Ædificia, quæ deinceps contigua ſunt, juſtam & æquam longitudinem explent, hic porticus, ſub qua panni peregrini domeſticique auctio eſt, ubi panni ſectorum tabernæ utrobique latere continuæ per totam longitudinem diſpoſitæ: Hic
QUI IN MEDIO CIRCI PORTICUS. & myropoliorum geminus ordo, inſtar vici digeſtus, longa ſerie tabernis omnibus ferratis poſtibus & firmo robore clauſis: harum in parte ferrariæ quoque ſunt. Hinc intervallum illud, ubi venduntur quæcunque lino texta ſunt, & ex tela concinnata, ipſum nihilominus concluſum; poſt hoc alia porticus non tam ampla ſed æque longa, in cujus ſuperiori tabula propolæ res omnifarias venales habent: Inferius piſtores ac ſutores tenent. Huic lateri, qua ſeptentrionem reſpicit, annexæ ſunt variorum opificum domunculæ, partim humiles & ligneæ, & totum hanc faciem deformantes, partim laterculis altius ſtructæ, nec indecoræ,

* Cujus fundamentum lapides quadrati ſunt, ex Judæorum Cimiterio JOANNE REGE an. 1345. jubente ablati.

coræ, hic fere circus maximus intra circumque conſtat, ita ut circumjacentes ædes hæc ædificia media è ſua quæque quarta contueantur.

FORUM SALIUM circo contiguum lateribus quatuor formam efficit quadratam, domus habet pro ſpacio non multas ſed * aliquas non minus quam in circo magnificas, area ejus vacua, præterquam quod humiles tabernulæ in parte ſint, hic ſalem habent venalem. FORUM SALIUM:

Quod novum forum dicunt, longius hinc ad fluvium deſcendit, formam quidem ſuperiori ſimilem habens, (&) ſpatio, domorumque numero præcedit, ſed non itidem ornamento: nam & media area, præterquam quod oppleta ſordibus, in tumulum terreum abit, (nec inutilam tamen & circumhabitantium uſibus & advenarum pauperum, quorum ibi jumenta ſtabulant) etiam calcis horreum in medio ſuſtinet. Hujus quoque ſinguli anguli binos in vicos abeunt, uno minus, ſed & duo ejus latera in duas vias emittunt, vicorum duo ad portas deſinunt, per quas & in urbem novam & inſulam B. Mariæ (cui inditum harenæ nomen) exitur. FORUM NOVUM:

Circus maximus ab Odera remotior unius tantum plateæ latitudinem ad meridiem relinquit, ** quæ Domicellorum nomen obtinuit, quam divites inhabitant, non eo latere, quod ex ædibus circi poſticæ occupant, (pulcris & ipſæ teſtis inſtructæ, ſicut & in aliis ejus- PLATEA DOMICELLORUM AD MERIDIEM:

* v. g. Domum, in qua mercatores de ſalute negotiorum conſultant: die Börſe: cujus contignationes plerumque ſupremus utriusque Sileſiæ Capitaneus inhabitat.

** Die Junckern-Gaſſe.

ejusmodi quocunque porrigantur) ſed oppoſito cujus ædes (à foro ſalio, quantum extendi plateam recta linea patitur) veteri muro retro inſertæ magna parte ad Olam pertinent, hinc ædificandi & hic habitandi voluptas, ex aquæ commoditate. Ad ortum vero circus idem vicos aliquot transverſos relinquit, quanto longius abſcedunt continuo breviores, poſt ergo longiſſimus à valva quidem ante divæ Magdalenæ templum in pontem ſutorum tranſit, qui ultimus ad portam S. Mathiæ pertendit; alter vero ſimiliter à valva paulo tamen inferius incipiens poſt ejusdem divæ templum in † veterniariorum plateam procedit, & contra S. Claræ ædem provenit; tertius ex Olavienſi platea ſumens initium in novum forum deſinit; quartus & quintus à valvis muri veteris in eundem forum emittunt: quorum noviſſimus monaſteria S. Adalberti & S. Catharinæ præterit: Ad occaſum duo transverſi à platea Rutenica ad totidem portas lanionum & molarum deſinunt; à ſeptentrionali autem circi parte, quæ civitatis eſt maxima, relinquuntur tres vici (nam qui poſticulas à circo recipit, rectius dici via poſſit): Ex illis autem longiſſimus à porta, quæ ad lanienam ducit, præter vetus macellum ad novum usque & macellum & forum pertingit: Alius deinde inferior ab Odrenſi platea in forum novum pariter terminatur, infimus vero à carcerali vico ad S. Mathiam directus flectitur, inde paulatim circum monaſteria S. Claræ & divi Jacobi ad portam usque S. Mariæ, hos diximus vicos transverſos, qui videlicet alias quam à circo oriuntur. Quæ autem ab eo recte deſcendunt platearum in omnem cœli plagam æquali numero tendentium, Suidnicia meri-

VICI TRANSVERSI AD ORTUM:

AD OCCASUM TRANSVERSI & AD SEPTENTRIONEM:

† Die Altbiſſer- ſ. Altbeſſerer-Gaſſe.

meridiem reſpicit, & verſus ejusdem nominis oppidum per portam via regia tendit, altera eodem reſpiciens non quidem platea, ſed loco fori ſalium per valvam quandam trans Olam dirigit: in occiduam vero plagam Rutenica & S. Nicolai ad turritas portas ampla via plauſtra ſimul & equites emittunt: in aquilonem Odrenſis foras mittit ad fluminis pontem, eodem mittit platea fabrorum pons appellata, quæ portam habet paulum declinantem, nam recto conſpectu Cæſaris Regiam tota contuetur.

Superſunt quæ ad ortum ducunt, quarum Olavienſis ab oppido, unde & fluvius nomen habet, quod ad ipſum iter per eam eſt, Adalbertina vero in urbis ferme medio nusquam foras perducit, ſed in fine ſuo templum divi (à quo nomen eſt mutuata) monſtrat, hæc omnium non hujus urbis ſolum, ſed quas unquam viderim, pulcherrima, tota lata, altis utrinque tectis conſpicua, quæ culminum frontes explicat viſendas, æque ubique munda, nobilium civium potius, quam ſordidæ opificum turbæ ſedes; hoc ad maximum ornatum deeſt unicum, quod non eſt (ſicut reliquæ omnes) ad perpendiculum directa: In tota igitur urbe præcipue obſervatum, ne domus ante domum vel transverſum digitum promineret, ut, quæ acies tenerent, domus retro non longius protenderentur, ut vel aliis tectis locus, vel vicinorum domibus à tergo deflexis, exitus per poſticas pateret, hoc iterum obſervatum, ut vici ac plateæ ubique rectiſſime cancellatim ſemper ad angulos ſeſe rectos multis in locis interſecarent, eas cruces appellant, quas occupaverunt fere cereviſiarii, quo latius apparet ſignum, quod potum venalem indicat.

PORTÆ. Portarum, per quas eunt viæ publicæ, ſeptem numero ſunt, è quibus † tres tantum noctu clauduntur: octava ad urbem novam ducens egregie munita & ipſa clauditur, reliquarum novem, quæ valvæ potius, & quaſi pertuſæ ſunt, vix obſerantur duæ, niſi forte januæ ſint uspiam, quæ coriarios ad aquam transmittant, velut ad Cæſaris Regiam.

PRINCIPALES ÆDES: Eam vero Regiam magnifice & amplis ædificiis (quibus additæ ſunt & turres) exſtructam, & ad Odoram propugnaculi loco ſitam, à CAROLO, SIGISMUNDO & ALBERTO Cæſaribus nominarunt, qui & auctores ejus fuerunt, & eo diverterunt: Sunt præterea principum quoque ædes, ſed quæ à privatis emtæ ſunt; eſt & Libuſſenſis Epiſcopi curia, ſunt & Abbatum domus urbi quidem decoræ, ſed non ſatis utiles.

Templa Dei inter hunc urbis ambitum multa, quorum maxima duo, quæ circo utrinque incumbunt: propius * Eliſabethæ conſpicitur tectum vitreatis laterculis, turris imminet omnino celſiſſima, cujus altius attenuatum faſtigium nubes videtur excedere: ** Magdalenæ vero paulum à conſpectu circi remotum, ſimiliter tectum duas erigit turres, multum ſuper ædis altitudinem levatas, quas tegulæ plumbeis laminis operiunt. Horum plebani parochiano jure civitatem bifariam diviſam procurant, utrumque vero medio &

† Nunc omnes.

* Templum hoc an. 1253. ex lapide exſtrui cœptum eſt, abſoluto poſt quadriennium opere Pohlio in Annal. MStis ad an. hunc teſte: nunc religionis exercitio Auguſt. Confeſſ. addictis inſervit.

** De hac æde idem dicendum: Baptiſterion ejus & ſuggeſtum ex marmore ſubviridi, ad Sabothum montem effoſſo, Frid. Groſſius inſignis artifex elaboravit. De Bibliothecis utriusque templi vid. Sect. IV. §. 14. Lem. Hiſt.

& duplicato columnarum ordine binos ſuſtinet parietes, quibus media teſtudo ſublimior attollitur, utrumque ad laterales parietes * ſacella privatorum plurima comprehendit, ferreis omnia cancellis clauſa: Sunt alia deinde ad forum cœnobia, Minoritanorum unum, HENRICI quondam Ducis opus, † S. Jacobi honori dicatum, neutri ſuperiorum ædificii magnitudine cedens, niſi quod lateralia ſacella non habet; Prædicatorum alterum crucis inſtar extructum, nec multo minus prædictis, tabularum vero picturarumque præcellens elegantia, Divo Adalberto ſacrum, quorum iſta primum ordinem ſibi magnitudine vendicant: S. Catharinæ proxime conjunctum à ſanctimonialibus, quæ accolunt, curatur, ſicut & aliud S. Claræ Minoritanis propinquum: Cujus ad latus itidem mediocre S. Mathiæ ab Hoſpitalariis Crucigeris tenetur. In his omnibus ſingulæ turres, quæ tecta ſupereminent; ſed quæ majorum templorum parietibus exterius adhærent, (ut quod apud S. Adalbertum Polonicæ Nacioni ſervit) in numerum non cadunt.

Huic autem jam deſcriptæ & interiori & abſolute rotundæ urbi adjacet exterior alia, non quidem undique, ſed ex parte magna in cornutæ lunæ formam circumjecta, cujus quaſi cornua hinc ad influxum Olæ, ubi Cacelina mola, inde ad Oderam, ubi lanienam lanii habent, extenduntur, venter late tumet, ad portas pariter Suidniciam & S. Nicolai, (ubi) quoque canum vicus porrigitur: In ea, quam longa eſt, quidam continuus tectorum ordo in ſemicircli modum undique

* Capellen: quæ nobilium cineres ſervant.

† An. 1240. extructum, nunc S. Vincentii nomen habet, poſtquam illud extra mœnia cœnobium deſtructum eſt. Vid. Sect. II. Lem. Hiſt. §. 7.

pene æqualiter ab Ola distans, adversas facies ad interiorem urbem convertit, ex qua tot fere pontibus, quam antea portulas numeravimus aut valvas aditur: Istius maximam partem lanarii, aut qui triticum torrent, inhabitant, sed qua viæ exeunt regiæ stantes utrinque domus plateas efficiunt, quatuor ad exteriores usque portas, ab interioribus continuatas, eas omnes generis opifices, etiam caupones tenent, inter quas plures vici transversi, verum Olavienſis in duas portas, quarum altera † perarum est, & cum suo vico in transversum abit, similiter Suidinicensis in suam, Rutenica & S. Nicolai in unam ejusdem divi nomine excurrunt; Infra quam Granarium publicum, ædificium amplum loco infrequenti positum est, ubi annona pro necessitate publica servatur, unde plebs in frumenti aut rerum necessariarum penuria pascatur: sed non accidit adhuc, ut non potuisset etiam sine hoc vivere civitas, neque enim facile meminerit quisquam, intolerabiliter charam annonam unquam fuisse, ea est arvorum ubertas quoque, quæ non leviter exhauritur, & in hanc urbem, quicquid habet esculentorum, superfluumve reliqua Silesia convehit.

PLATEÆ RECTÆ.

GRANARIUM:

Sed jam templa quoque videmus; Unum hic maximum S. Venceslao & Dorotheæ sacrum quasi montis speciem altitudine præfert, in cujus ædificationem multum BOHEMIÆ REGES impenderunt: Heremitani fratres habent, quod præter chorum (qui pars ædis simpla est, æque tamen alta) triplicatam testudinem æqualiter sublimem duplici columnarum ordine sustinet: Inter portarum claustra, quæ longo ambitu continentur, Christi corpori dicata extat ædes, huic

† Das Taschen-Thor: Hinc nomen munimenti: die Taschen-Passey.

huic Hierosolimitani Crucigeri cœnobium suum arcubus per mediam viam ductis junxerunt, ut super his clauso transitu, quum libeat in ædem transire, possint, ornatam & ipsam & majoribus adnumerandam media testudine, geminis sublatam columnis, instructam tabulis signisque decoris: * Barbaræ quoque & Christophoro Martiribus mediocria templa parte multum diversa sunt posita, ut illud occasum, hoc ortum respiciat; hoc turrim semiligneam plumbeis laminis, illud latericiam, tectorio dealbatam, (&) vitreatis tegulis opertam erigit, hoc Parochiæ divæ Magdal. illud Elizbethæ sepulturæ locum commodat; neque enim interior urbs se cadaveribus opplereri patitur. Sacella, quæ separatim divis dedicata, pars hæc habet, unum S. Hieronymo, quasi geminum ad hospitale, quo scholares ægri recipiuntur, alterum individuæ Trinitatis, & ipsum adjunctum Xenodochio pauperum, ad ecclesiam corporis Domini pertinentium: Tertium tribus magis seu regibus, quod Monasterium Eremitanorum contigit. Sunt item duo ad Xenodochium S. Barbaræ & ad Orphanotrophium singulorum altarium Fana; hæc quondam interioris urbis fuisse suburbia multis argumentis deprehenditur, maxime quod extra portas ejus & muro fossaque secluſa

* Quæ Aug. Confess. addicti possident; in vestibulo ædis S. Barbaræ Wenceslaus Dux Saganensis conditus est, cujus tumuli hæc inscriptio:

Illustris quondam Dux Silesiæ & Sagani Dominus Wenceslaus Deo devotus princeps, spretis principatus honoribus religioni & sanctimoniæ in hac urbe deditus, inter plebejos in cimiterio hoc se tumulari ex humilitate cupiens, hic sepultus obiit penultima Aprilis Anno MCCCCLXXXVIII.

fuere, nunc altiſſimo muro in ſimicirclum ducto, qui prope quinquaginta turribus attollitur, cinguntur: *CAROLUS Imperator hujus nominis quartus auctor ejus munitionis fertur, qui ante annos CXL. vixit: erat ei muro prius adjecta foſſa brevis cum antemurali, fortibus vallis intexto, nunc quia totius urbis munimentum eſt, murus alter multo firmior latiorque priori, ſed demiſſior, ut à ſuperiori defendatur, cum turriculis crebris & procurrentibus caſtellis protenditur, additur & foſſa latior, quæ tota ſtagnat aquis, ſed opus hoc ſemiperfectum jacet adhuc interruptum, ** ruinæque murorum ingentes, ſed extra hunc etiam viridaria ſunt priorum civitatis, pomœriaque cum apricis tectis amœniſſima, ibidem ruricolarum quoque & olitorum magalia. Sunt parochiana mediocria his, qui ad occaſum S. Nicolai, qui vero ad ortum divi Mauritii, & illud quoddam planum Sancto Lazaro dedicatum, & ante portam Suidniciam S. Gertrudi, quod unicum inſerto laterculis ligno conſtructum eſt, ad locum ſepulturæ damnatorum capitali ſupplicio, ubi etiam *** campus ſpectaculi amplus, ſed ſuppliciorum locus infamis.

Hactenus ea, quæ de duabus partibus urbis potius interiori & exteriori communia claudunt mœnia, cum paucis extrinſecus commemoravimus, ſuperſunt par-
URBS NOVA. tes tres aquis cinctæ, quarum ea, quæ urbs nova vocatur, inter urbem, quam diximus, interiorem (à qua ve-

* HENRICUM CRASSUM ſ. V. Ducem Vratislavienſem Olava urbem circumſcripſiſſe Sect. I. cap. VII. §. 1. Lem. Hiſtor. tradidi: inde CAROLUS IV. pomœria auxit, & omne id, quod Stenus noſter urbem exteriorem & quaſi aliam dixit (was über der Ohlau auſſer dem Schwibbogen iſt) addidit, anno præſertim 1350.

** Nunc nusquam murorum ruinas, nec interruptum quid, videbis.

*** Der Schweidniſche Anger.

veteri muro ſecluſa, etiam rivo quodam Oderæ disjungitur) inter Olam altero latere & inter Oderam tertio poſita, loco fluminibus ſatis munito, quod Ola, per ſe quidem vado meabilis, in quasdam ibi paludes ſtagnat, quæ ex Odera ſuſcipiunt aquam, & per foſſam protenditur in fronte maxime, ubi vallum altiuſcule jactum materiam ſuſtinet, ubi aliquot de trabibus caſtella luto circumlita, ne poſſint incendi, usque ad flumen excitata ſunt, à quorum poſtremo pons fluminis ripas jungens ad † ſummum pertinet, ut enim nomine vocant S. Joannis inſulam, quæ jacet è regione, flumine ſeparata, nec ad alium uſum pons iſte factus eſt, quam ut ex eo flumine defendatur, & ut urbis hujus & inſulæ latus alterum tutum ſit, utque diſcurſus utrinque propugnantibus defenſoribus liber ſit; ſuſtinet autem in medio caſtellum trabibus ut ſuperiora contextum, ſed nudum, ne niminum gravet, ante quod pontis interrupta pars maxima demittitur, rurſusque, quando opus eſt, ſuſtollitur, ne alterutro loco ab hoſte capto in alterum fieri poſſit irruptio: Ipſa pene triangularis eſt, angulorum obtuſiſſimo foras in orientem proſpicit, qua porta verſus officinas laterculorum coctilium ducit, alterum habet, ubi ab exterioris urbis, quam luneformem diximus, cornu prope molam cacelinam porta turrita immittitur, quæ ad novum murum pertinet, & noctu clauditur, tertius ad S. Spiritum porrigitur, unde rivus ab Odera promanat, habitatur cruciformiter præter vicos quosdam exiguos plurimum de †† lanariis: ††† Ædem S. Spi-

† Der Thurm: Pons vero, de quo autor tradit, jam ante munitionem Neapolis hujus dejectus eſt.

†† Ex quibus unus in Senatu locum occupat.

††† Quam nunc Auguſt. Confeſſ. addicti habent.

Spiritus parochianam habet, quam, etsi non maximam, inter primi tamen ordinis templa numero, ei præpositus cum regularibus fratribus præest: Circumjectæ domus plusculæ spiritualibus fere personis inhabitantur: hic & S. Sebastiani sacellum est. Majus aliud templum, & quod in primis censetur, in angulum contrarium vergit, ad quod monasterium situm est, de observantia, nostra memoria una cum templo à fundamentis erectum: Ejus anterior facies speciosa est, & exquisitissime decorata, sustentat mediæ testudinis parietes altiores, ibidem ut in multis ordine duplici crassiores columnæ, præter chorum, cujus est unica testudo, præterea * S. Clementis ædes in crucis est figuram structa, non magna quidem Polonorum & piscatorum ecclesia.

INSULA HARENA: Nunc ad insulam, cui dant harenæ nomen, transeamus, quæ ex porta interioris urbis, quam ** S. Mariæ vocant, ponte non quidem longo, verum sub quo alveus Oderæ, undique coarctatus, profundissimus est, aditur; Excluditur autem non claustris modo, verum & subducta catenis parte pontis, quæ præ foribus tripliciter attrahitur: Ipsa platea una insigniter habitatur ædificiis, quæ partim cives, inter quos pistores & cerevisiarii, partim religiosi tenent. Nam, quicquid ejus occasum respicit tuguria pauperum occupant, ibidem & tecta quædam longa, tota latericiis tegulis operta, torrendo tritico facta, & hic in superiori S. Claræ insula, qualia plurima etiam exterior ultra Olam pars urbis habet, hic & templum stat unum amplissimum, virgini

TEMPLA EIUS

* Nunc diruta jacet, in qua an. 1418. ad dilacerandam rempublicam turbulenta concio habita est vid. Lem. Hist. Sect. II. §. 3.

** Nunc das Sand-Thor.

gini Deiparæ sacrum, cujus altissima testudo geminis undique fulta columnis, triplicibus clauditur fornicibus, totum lucidum, totum decorum, locus chori sublimior in medio non parum ornatus addit, tabula in summa ara signis ligneis, utrinque opere non vulgari: tectum ejus, cui turris imminet, si pro modo latitudinis esset fastigiatum, divæ Dorotheæ non cederet. Accolunt regulares canonici sub Abbate, qui hujus ut ecclesiæ parochianæ curam gerunt, ædes ei opposita, divæ Annæ dicata, pulchra quidem, & ob patronam celebris, sed illi neutiquam par, ad quam pro sepultura defunctorum cimiterium adjectum: Nec longius hinc ædicula S. Josephi ad hospitalem scolaribus domum attinet. Ex hac insula duo pontes abducunt, alter in septentrionem præter insulas, quæ molis occupantur, longe protensus in usque diversum ripam, trans omnes lacunas fluminis porrigitur, duobus castellis, quæ de trabibus contexta & limo communita sunt, instructus, circa utrumque pars interrupti pontis portam occludit; alter, ad quem per angustam viam accessus est, brevior priori mittit ad insulam S. Joannis, sive ut appellant summum, sed ultra priorem communiter pertransitur. Ad dextram longus agger, quo reprimitur fluminis inundatio, dirigitur in Præmonstratensium, quod diximus, vetustissimum cœnobium: Super aggerem occurrit omnium sanctorum honori consecratum, non paucorum hominum capax: ad cœnobium vero ædes S. Vincentii, antiqua magnificentia & ingentibus ex uno saxo columnis visenda, postibus & insigni artificio sculptis, cæterum nulla testudine decora, amplitudine tamen inter majores censenda: In ejus cimiterio S. Michaëlis fanum comprehenditur, habet parochianum, hoc est

miniſtrandi ſacramenta jus; ſtructum id antiquitus ſaxo quadrato ab † Jaxone quodam, quod qui ſuper poſtes & indicat titulus: Infra aggerem planities, ſed quæ multis quaſi vicis habitatur ad viam usque publicam, ſed hanc, quia paret Abbati, & eſt (extra) omne munimentum, urbis partem non judico, verum civitatis, cujus eſſe pars nec Abbas ipſe nec cœnobium ejus recuſarent.

Sed jam ſummum, quod ponte ex harena adiatur, dicere cœperamus, quod proſequamur: Locus hic vel nobiliſſimus eſt totius urbis, (non) propter amœnitatem, ſalubritatem, tum nec propter templorum & ædificiorum magnificentiam, ſed quod ſedes eſt & cathedra religionis & aſilum Cleri totius provinciæ omne. Hic collegium illud principale, cujus antiſtes caput eſt, ad quod omnis ſacerdotalis ordo, omnis religioſorum conventuum cœtus in hac diœceſi latiſſima reſpicit, hinc ſacramentorum & eccleſiarum petitur adminiſtratio, inde paſtores, eccleſiaſtici, collegiaque omnia regendæ plebis in via Dei formulas & Ordinis divini regulas accipiunt, hæc tanquam ſacerdotum civitas magno eorum numero tenetur: Arcis ibidem area diruto principis palatio (ne quis unquam tyrannus ſervorum Dei quieti obſtreperet) ſervato tamen externo pro ædificandi commoditatibus muro, ſeptem canonicorum ædibus eſt diſtributa. Inſula univerſa ſexaginta privatis ædibus frequens, canonicalibus XXX. totidem aliis, in medio

† Jaxo hic Petri Durini Gener, Comes Zerbinienſis erat; Titulus vero, de quo Stemm, talis:
Jaxa en! principium templi fuit hujus & auctor
Poſt obitum cujus operi finem dedit uxor:
Jaxa Decus morum, via recta & forma bonorum
Adſit Pax Chriſti tibi! Buſtum cujus adiiſti.

dio plateam latam habet, quæ faciem maximi templi ſpectat, ſunt tamen & vicorum brevia hinc inde diverticula; omnes fere majores ædes hortos habent, & plurimæ tribus ferme partibus inſulæ ad fluvium vergunt, unde & multiplex balneorum lignorum copia: in acclivi à ripis ædes aſcendunt medio undique eminentiore, quod exaggeratum ruderibus & convecta terra, ne quid obſit inundatio. Poſt capituli domum, quo convocare canonicos ſolenne eſt, quæ juſtam amplitudinem cum altitudine trium contignationum complectitur, Epiſcopalis Curia dignitatem obtinet, cujus in medio latiſſimum compluvium quadrifarium circumdatur ædificiis altioribus, quæ ad ortum ſpectant, utilioribus & ornatioribus, quæ ad boream & ad plateam, cum reliqua familiæ & jumentorum uſibus magis inſerviat: Ipſa quoque hortis cultiſſimis & amœnis niteſcit, & ad fluminis usque ripam deſcendit, & arcu, ſuper quo tranſitus eſt, templo conjungitur: interiores parietes coloribus obliti variis, exteriores etiam hoſtiarum argumenta & præſtantium ſimulacra virorum monſtrant, nec arte vulgari picta. Templorum primum, quod maximum non mole, ſed dignitatis excellentia diximus, S. JOHANNI BAPT. ſacrum, nec non aliis patronis, ſed hujus nomen obtinet, non tam ſublime quam firmum: Nam lapide quadro & veſtibula &, quæ medios parietes fulciunt, columnæ, & arcuum fornices, & omnes anguli conſtant, eoque duriſſimo, ex quo & ſigna plurima, quæ & extra & intra pro murorum proque columnarum ſtant ornamento, reliquum opus latericium. In ejus medio ſub elatiori teſtudine locus eſt ſacrior, ſtationi canonicorum ſacerdotum, miſticis & canentium officiis ſecretus, clauſus undique, huic à tergo beatæ

EPISCOPI CURIA.

TEMPLUM S. JOANNIS.

Mariæ ædicula eſt oppoſita, in cujus laudem ibi aſſidue privatæ canuntur horæ: ſunt & ad latera totius ædis adjecta ſacella, ſub humiliori teſtudine cum ſingulis altaribus clauſa fere cancellis ferreis, ſunt & aditus in eo & ſacraria, ſcilicet ut in aliis omnibus: hoc ſingulare, quod magna parte & ſepulcralibus lapidibus conſtratum, & cupreis laminis materia quaſi perpetua contectum eſt, quod turribus eminet retro duabus minus altis, ante vero una inchoata, altera perfectiſſima, & ſecto lapide varie decorata, culmen habente cupreis æque laminis faſtigiatum: hæc altitudine uni Eliſabethinæ, cæterum ornatu ne in Sileſia quidem ulli cedit. Proximum ab hoc & operis amplitudine
S. CRUCIS: & honore collegii templum eſt (a) S. Crucis, laterculo quidem totum, ſed artificioſiſſime conſtructum, duplicem ædem continens: inferiorem quaſi cryptoporticum (in qua de paſſione DOMINI privatas horas quotidie XII. ſacerdotes perſonant) firmiſſima teſtudine concameratam, S. Bartholomæo dicatam. Ejus dum fundamenta jaciuntur, reperta ſub terra prodigioſa crux ex radice nata, quæ CHRISTUM haberet affixum, barba capilloque propendulo, Mariæ demum & Joannis adnatas imagines, cauſa fuit ut ædes fieret gemina, & S. Cruci ſuperior conſecraretur, quæ & altius patet & lucidior eſt & ornatior: Templum univerſum crucis habet formam, interiori choro anguſtiore,

(a) Dlugoſſ. VII. ad an. 1288. HENRICUS quartus Wratislavienſis Dux, Thomam Epiſcopum & Clerum Wratislavienſem placaturus, collegiatam eccleſiam in ſummo Wratislavienſi ſub S. Crucis honore & titulo pulcerrimam & inſignem ædificat, fundat, ac erigit, & certum Prælatorum & Canonicorum numerum Vicariorumque in eadem, qui jugiter laudes DEO concinerent, & ſacrificia offerrent, inſtituens, dotem unicuique munificam de villis & introitibus ſuis largitur & conſignat. Adde Cromerum de Rebus Polonorum lib. X. Roſizius in Chron. & Numer. Epiſcop. Vratislav. MSto ad an. 1453. In virgilia aſſumtionis Mariæ virginis Manſionarii inceperunt cantare horam & miſſam beatæ virginis in eccleſia S. Crucis.

ſtiore, exteriori parte latiore, adeo ut egeat teſtudo columnis: aditur gradibus viginti janua meridiana, totidem adverſa, in cryptam totidem deducunt, tectum ejus propugnaculis quibusdam inſtructum eſt, turres ab utroque latere duos extollit, alteram multo celſiorem, & plumbeo faſtigio conſpicuam. Tertia nu- ÆDES SA-
meratur hic ædes longe minor his, ſed tamen colle- CRÆ:
gio, licet paucorum Canonicorum, prædita, S. Ægidii nomine, tria habens altaria, ſub eccleſiæ majoris tutelam recepta; eſt & Petri & Pauli (quæ pontem excipit) par proximæ, in qua ut horæ de B. virgine canantur, inſtitutum: verum chorus iſte ad S. Crucis translatus eſt tutelam, ut ſub divi JOANNIS Ægidii. Intra arcis ambitum, quem adhuc muro diximus concluſum, ſacellum eſt divi Martini, ad curiam pertinens, Epiſcopalem non minus amplum, quam ſuperiora, nulla tamen teſtudine, ſed laquearibus picturis auroque ſtellatis decoratum. Eſt & divi Alexii nomine ædicula juxta domum ſcholaribus hoſpitalem, quales ubique ſunt additæ Xenodochiis, ut ad opera pietatis homines invitent: habet & Epiſcopalis curia ſacellum, ſed inopia miniſtrorum, & quod ædificiis comprehenditur, neglectum. His præclara hæc urbis pars inſignitur ſtructuris, quæ pro munimento fortiſſimo flu- MUNIMEN-
mine cingitur, quam ad orientem & aquilonem, qua TUM:
ab urbe averſa eſt, etiam materia ripæ paulum altius exſtructæ ſuppoſita muniat propugnaculis inſertis, unde poſſet arceri hoſtis. Alveum, qui pone claudit inſulam, pons jungit, propter eos, qui trans flumen domos & hortos ſacerdotum tenent: Ponti caſtellum de contextis trabibus eſt impoſitum, quod ſubducta catenis pontis pars accludit, ut in aliis ſæpe diximus, hæc de ſitu ſummi & ejus ædificiis ſatis erit interim

memoraſſe. Nam ipſius eccleſiæ ornamenta, ut orta ſit, ut primum huc Rizino Smogerovioque relictis migraverit, ut creverit, & per quos præſules adminiſtrata, quanta circa eam copia miniſtrorum, qui Prælati, Canonici Manſionarii apud eam alantur, quantique reditus eorum, referre, longiorem & propriam requirit hiſtoriam, & majus opus eſt, quam ut ingenium tenue ſuſtinere poſſit; mihi ſatis eſt poſſe VRATISLAVIAM neſcientibus oſtendere: Cujus extra mœnia, ſed aquis munita, pars hæc erat tertia.

DIVISIO FLUMINIS: Nunc ut Odoram partiamur ſupereſt, vel ut eam natura partita eſt referamus: Perlabitur is ab Ortu recte in occaſum, ſcinditurque primum circa viculum Scheitenicum circummittitque rivum, quæ S. Claræ nemus includit, dividitur iterum ad objectum ſummi, mittitque dextrorſum alveum, qui frontem ejus latusque boreale profundior & auguſtior ambit, atque ad molam S. Claræ tendit, impetus undoſior inter ſummum & novam urbem lato flumine fertur, quo ad locum contingit, quem Canonici regulares de S. SPIRITU tenent, hic rivus abscedit, qui ſe poſtea cum Ola conjungit, ſed ubi toto impetu non longe proceſſerit, occurrit medio monaſterium Abbatis de B. virgine, quod occupat frontem arenæ, hic iterum ſcinditur, pars una portam & murum ſubit, dirimens eam ab arena, hanc dein excipit duplici rotarum Ordine mola S. Mathiæ, alia vero pergit ab arena latere diverſo ſeparare ſummum, ſed hæc dividitur trifariam, pars duarum molarum Canonicorum regularium & pauperum de corpore Chriſti rotas è regione ſitas impellit, pars in medio abscedit, pars alveo, qui ſummum abit ante molam S. Claræ ſe miſcet, ſed qui ad Scheitenicum abs-

abſceſſit rivus, partim in alveum poſt ſummum influit, partim circa S. Vincentii cœnobium circaque aggerem, quem prædiximus, ubi olim molam verſavit, ſegniter delabitur, & poſtremo ponte ſubterlapſus inſularum latus extimum claudit, & infra eas cum toto flumine concurrit. Sunt autem inſularum eodem quaſi tractu quinque, S. Claræ duæ, quibus utrinque inſiſtit mola, tertia præcipua molam pauperum de corpore Chriſti ſuſtinens, quarta ea eſt, quam arenæ nomine jam ſæpe appellavimus, quinta dimidium molæ S. Mariæ gerens aggerem cum arena pene conjungit: Igitur infra has è ſex duplici alveo coit in unum Odora, ubi CÆSARIS Regia late ſubjectum deſpicit, hic iterum pons totum quam latus eſt fluvium jungit, in eum de tribus veteribus portis viæ concurrunt, hunc in medio caſtellum munit, palis ubique ſuffultum, hoc etiam pars abrupta pontis & machina ſublata claudit, pons ipſe querno robore craſſisque ſublicibus fabricatus in hac provincia nulli ſecundus eſt, ſed mox, ubi flumen ſub ponte ſe devolvit, denuo multifariam dividitur in molas complures, in extima ripa papiracea eſt, & iterum alia, quæ coriariis cortices commolit: Hinc jacta moles ſarmentis congeſtis ſaxisque & infixis palis contexta effluere prohibet undam, hinc ædificium, in quo pannus opera rotæ craſſeſcit, & infra pulchra mola frumentacea, hæc ad dextram ſunt ejus inſulæ, quæ & longiſſima eſt, & * civium vocatur; Quantum de ea foſſa præſciſſum, & porta caſtellisque munitum eſt, machinam gerit tractilem, qua de ſubjecto fluvio maxima quæque tigna ſubducuntur, quæ publicis ædificiis hic potiſſimum ab architectis

INSULÆ CUM MOLIS:

INSULA CIVIUM:

* Das Bürger-Werder.

rectis præparantur, coaptantur, finduntur etiam pro uſu publico in tabulas. Nota rota deinceps ad ſiniſtrum eſt, * quæ multifidas trabes ferræ tractu diſcindat, & ** alia quæ lapidem verſat dolatorium, qui ferrum atterit, & acuit obtuſum; Qua longius in procurrentem inſulam emittit porta, locus eſt, ubi ſub ſole telam dealbant, ubi baliſta bombardaque † ſagittarii certant, ultra eam moles iterum, quæ multiplici congeſtu fluvium ſtringit, dein rota, quæ panno denſando dat operam, tandem mola maxima gemino rotarum ordine duabus à partibus opus faciens impoſita ripæ citeriori prope veterem portam, quæ nomen à mola habet, ab his omnibus tributum civitati penditur, ſed ante molam hanc †† rota maxima aquaria, quæ arte mira totam in urbem per fiſtulas & ligneos tubos aquam fundit: ſed & quo pons ducit, memoratus longa tectorum ſerie quaſi longus vicus habitatur, quem Elbingum appellant, habens & ſiniſtrorſum vias æque habitatas: ipſe lapide ſtratus ad aggerem usque, qui ad canum campum mittit, protenditur, ibi ſecus aggerem multis interciſſum pontibus ſacellum eſt Urſulæ & undecim millibus virginum ſacrum, quod hoſpitali pauperum leproſorum jungitur. Et eſt ſacrarum ædium, quæ in tota ſunt urbe, numerus circiter quadragenarius, in quo illæ ſolum tenuere locum, quæ ſuis tectis, ſuis parietibus contineantur, inſtructæ muſicis inſtrumentis, quæ organa dicunt, fiſtuloſis, mediocres ſingulis, majores binis, quæ vix alia in urbe reperiantur: in iisdem tantum æris, campanæ vel maxi-

NUMERUS SACRARUM ÆDIUM:

* Die Bret-Mühle.
** Die Schleiff-Mühle.
† Das Schieſs-Werder.
†† Die Waſſer-Kunſt: plura Henelius in Breslograph. Renovata MSta cap. 3.

maximarum etiam campanarum cymbalorum ex tot turribus ſonantium, quantum vel tribus urbibus abunde ſufficeret. Has inter primi ordinis duodecim ſunt, quæ juſtam æquant magnitudinem, his adjecta Monaſteria ſunt undecim, Canonicorum Collegia tria, quinque Manſionariorum & Vicariorum conventus, multæ præterea communes Altariſtarum domus, multa paſſim ſororum conventicula, regulares ad ordines pertinentia. Sed Monaſteriorum primum & antiquiſſimum Præmonſtratenſium, & cujus eſt ſæpe facta mentio, Abbate regitur, reditibus olim opulentiſſimum, nunc etiam ſanctorum reliquiis, quas undequaque concurrentibus bis quotannis oſtendunt, nec minus ædificiis quam proventibus cenſetur: Alterum, quod ad ædem B. Mariæ in arena ſitum eſt, Canonicorum regularium ordinis S. Auguſtini, cui ſimiliter Abbas præeſt, & ipſum ex locupletiſſimis unum, magnificis ſtructuris præeminens, & ſecundum à Canonicis autoritatis ſibi locum vendicans. Tertio ponitur loco quod ad S. SPIRITUM obtinet, ſed ejusdem ordinis cum priori, cujus habet gubernationem Præpoſitus, paucorum tamen fratrum. His ſuccedunt quæ cœnobia ſuas domos nuncupant, Crucigeri duplices, alteri rubra & gemina cruce, qui apud S. Mathiam habitant, amplam & ædificiis pluribus ſplendidam curiam, à quibus & Eliſabethina parochia adminiſtratur; alteri vero crucem ſimplicem geſtantes & albam corporis Chriſti ſub porta Suidnicia templum tenent loco aprico & undique perflatili, ſed meridiei nimis expoſito: Utrique proventibus abundant, numeroque fratrum pene pares ſunt, familia pro numero poſſeſſionum mediocri. Sequuntur fratrum Mendicantium quatuor ordines: Apud S. Adalbertum fra-

ORDINES MENDICANTIUM:

tres S. Dominici Prædicatores habent, ſimiliter amœniſſimum ſimiliter ornatiſſimum cœnobium, cameris, atriis, picturis, omnia decora, bibliothecam, cui in hac urbe * nulla par. Minores vero ordinis S. Franciſci nuper reformati ædificiis altis & pulcre concameratis habitant, quæ antea neglecta nunc elegantius inſtaurant. Eremitani etiam ut audiunt ipſi de inſtituto divi Auguſtini, unde ſe Auguſtinianos dici malunt, ſoli omnium non reformati, prope ædem divæ Dorotheæ ſatis inſtructum monaſterium tenent & amplum, non contenti omnia domi & maxime ambitum exornaſſe, etiam in publico pontem latericiis arcubus trans Olam conſtruunt. Noviſſimi Bernardini, qui ſe de obſervantia vocant in nova urbe templo aſſident novo, in monaſterio noviter & quaſi manibus adhuc viventium à fundamentis erecto, quod cum ornatu vix illi ſuperior cedit, ædificiorum vero numero, multorum numeroſitate fratrum cum Prædicatoribus certat, ambitus appellant porticus quadratos, & quaſi Xyſtos: (nam fere viridaria in medio complectuntur.) Hæc ſunt unica monaſteriorum ornamenta, latis feneſtris vitro perſpicuis, ſed in ſex duntaxat ex prædictis reperiuntur, & non in omnibus, ſic nec ubi ſunt nec omnibus adeuntibus, ſed in quibusdam ſolis fratribus patent. Superſunt Sanctimonalium clauſtra, unde ullam unquam egredi, nec virum, vel aſpicere vel alloqui, niſi ſancte fas eſt: Unum apud S. Claram olim poſſeſſionibus opulentum, terrarum prædiorumque dives reditibus, niſi quod adminiſtrantium pleraque perierunt incuria: Alterum ad divam Catharinam, quo cives tantum recipiuntur, non ut in prædicto nobiles, adminiſtratur aliquanto pru-

AMBITUS:

* Ea nempe, qua Stenus ſcripſit tempeſtate.

prudentius fratrum Prædicatorum cura, quamvis latas poſſeſſiones agrorum non habeat. Amborum ſtructura quidem laxa, ſed facies interior, ut referunt, inamœna, ne forſitan animi caſti pictura laſciviant.

Xenodochia & hoſpitalia multa conſtituit alitque hoſpitalis hæc civitas: Infantium expoſititiorum unum, quod abunde cenſibus dives eſt, unde dos etiam nubilibus additur. Aliud iterum pauperum utriusque ſexus apud S. Barbaram, ubi facile centum lauto victu foventur, ſub ædificiis amplis & commodis, hinc & inde viam publicam ſpectantibus: Pro ſcholaribus trium eccleſiarum ægrotis & languentibus apud S. Hieronymum ſtructura nova jucundis & lectis & utenſilibus & familia quæ curet ſatis inſtructum: Tres aliæ ſcholæ ſuas quæque domos, ubi reficiantur habent; qui vero contagioſis morbis afficiuntur, extra mœnia ad S. Lazarum & undecim millia virginum habitant: Sunt item quædam in religioſorum cura, ut quod apud ædem Corporis CHRISTI eleganter eſt & amœno loco ædificatum, verum in hoc non tam inopes, quam qui DEO ſervire volunt, ubi certam pecuniæ ſummam contulerint, alendi recipiuntur. Apud S. Mathiam pauperum hoſpitalarii Crucigeri curam gerunt, ſub longo porticu diſpoſitis lectis jacentium: ſimiliter apud S. SPIRITUM regulares Canonici egenos fovent. His xenodochiis omnibus, quæ ſunt XI. numero, reditibus ſufficienter proviſum eſt. Nutrit præterea civitas hæc ciborum reliquiis ſportulisque & eleemoſynis etiam veſtium, vagorum & mendicantium, egenorum & ſcholaſticorum, de ſcholis octo ad totidem templa cantantium, ingentem copiam. Longum eſſet omnia recenſere, quæ quotannis ex teſtamentis in pauperes

HOSPITALIA:

ſtatis temporibus elargiantur, longum commemorare, quæ eccleſiaſtica beneficia per ſingula templa conſtituerit, quod ſacerdotibus effluat; tantum certe ornatus, auri, argenti, gemmarum & margaritarum, veſtium ſacris in ædibus, quantum vix tertia reliquæ provinciæ parte, quanto hinc etiam res omnes ejusmodi profluxerunt.

MATERIA ÆDIFICIORUM:

Sed ad urbis ædificia revertamur: Tecta omnia, parietes omnes omnium templorum, monaſteriorum, nobilium domorum, publicorum ædificiorum, ædium quoque interioris urbis, præcipue privatarum (præter pauciſſimas & rarenter aliis mixtas aut angulares & extra frequentiam ſubmotas) coctili laterculo conſtant, hoc turres, hoc muri, & cœnobia ſtructa ſunt.

TECTA:

In tectis eſt ſingulare, quod nusquam latæ tegulæ, ſed ubique cavæ ſemper binæ, ſic ut tertia converſa & calce interlita, binarum commiſſuram deſuper integat, quod intus bina fere tecta lapidei canales ſeparant, niſi ſi qua lateribus jungantur, ſitque paries medius: nam maxima parte frontes pandunt in publicum, ne ſtillicidia prætereuntibus officiant, quod & ad decorem facit, cujus in urbis iſtius conſtructione non mediocris eſt habita ratio, quod ſi quidem iſtud quoque primis illis ædificatoribus curæ fuiſſet, ut aut opere tectorio aut coloribus picturisque ædium oblinirent extrema, nihil amœnius eſſet hac urbe: nunc laterculi nudi recentes alioquin pulchriores, ſed vetuſtate plerumque nigreſcentes, nonnihil deformant, præſertim cereviſiariorum domos, quæ præterquam quod ſordibus ſcatent ob ruſticorum (qui ſæpe in eas divertunt) ſtabulationes, etiam ad publicam viam frequenter converſas habent coquendi potus illius offi-

officinas, quæ fumo penitus inundantes omnia late decolorant: His omnibus, quæ modo interiori ſunt urbe, ſuppetit aqua de ſubterraneis ductibus, quos omnes una maxima rota complet, per ligneos tubos in omnes vicos ac plateas partiens; & quanquam illi, qui in potum coquendum demittunt, plurimum aquæ abſumant, non minus tamen & per publicum perque privatas ædes diffunditur, paratis ad hunc uſum ubique partim fiſtulis, per quas ſupra terram altius erumpit, partim receptaculis in putei modum de foſſis, quæ concluſa ſervantur in publico: Mirum videtur, unicam machinam tantum aquarum ſuggerere poſſe, ut plus quam ſexcentis locis abunde diſtributa egeratur. Habet ea ſuos curatores, quibus, ut ubique recte dispenſetur, curæ eſt.

AQUÆDUCTUS:

MAGISTRATUS ET OFFICIA:

Jam vero locus admonet, ut de Magiſtratibus civitatis deque gubernationis genere ſtrictim tantum aliquid dicamus. Poſteaquam emortua ſtirpe ſuorum DUCUM liberationem à rege redimere licuit, ita redemit ut una cum totius hujus diſtrictus (ut vocant) attinentiis Regii tantum juris eſſet, ipſa ex ſe Regium Magiſtratum Capitaneum daret, qui annuus eſſet: Inductum eſt, ut tres quoque triumviri, ſinguli viciſſim per ſingulos annos adminiſtrarent; huic ergo, qui præeſt, vocandi ſenatus extra ordinem jus eſt: nam ſtatis diebus habendi ſenatus ſponte etiam ad campanæ ſignum coit. Conſtat ex * decem & novem civibus, quos opes & ingenuitas approbant, ſi tantum ex tribubus opificum non fuerit: præterquam lanionum, lanariorum, inſtitorum, cereviſiariorum, unde ſinguli adſumuntur, ut plebs quoque Magiſtratuum

* Vid. Lemm. Hiſtor. Sect. IV. §. 5.

tuum sit particeps, ne videatur contemni: Cæteros oportet carere sedibus, horum pars CONSULES, qui soli consilio vacant, pars SCABINI vocantur, quorum est opus in jure dicundo. Eos legere mos alius antea fuit, nunc à creatis ex plebe XLVIII. viris, qui perpetuis sunt suffragiis, eliguntur, per hos olim optimatium respublica facta est plebeja: Plebs ipsa pro majorum numero tribuum distributa suos sibi legit seniores quaternos, quorum arbitrio sæpius agitatur; est & Magister civium, sed unus è Senatoribus; ex iisdem leguntur, qui ærario, qui ædificiis publicis præsint, item qui molarum, qui latericii operis, qui lignorum, qui salis curam gerant. Minoris partis est judex, ad quem leviora referuntur, & Cancellarius, qui fores prætorii observat, sub quo ministri publici & carceris ingenuorum custodia: primis illis & Senatoribus tres Notarii, viri docti & secretorum conscii, inserviunt: SCABINI quoque suum habent & ipsum experientia peritum: his inferiores scribæ multi succedunt, Palatinus seu Atriensis, & qui frumentum, qui lupulum, qui res libratas, qui pecora lanienæ præscribunt: in Telonario sedent, qui publicas expensas proventusque supputant calculatores: ad portas quoque litterarum gnari sedent, quibus omnibus ex publico stipendia constituta. Utitur civitas ut universa provincia Jure Saxonico, & crebrius exoneratura se sententiarum invidia Magdeburgum, tanquam ad ejusmodi juris fontem litigantes remittit.

Ipsa igitur talis civitas gravibus sæpe motibus est concussa, & cum è LIGNIC. *DUCIS manibus à JOAN-

BOLESLAI nempe Lignicensis armis se non parem videns HENRICUS VI. Urbem Ducatumque Boëmiæ Regno addidit, quare JOANNI REGI urbis potiundæ causa DUX LIGNICENSIS extitit: vid. Lem. Hist. Sect. I. cap. 7. §. 3.

ANNE REGE BOEMIÆ cæco recepta est, & cum seditione cæsos consules IMPERATOR SIGISMUNDUS ultus, multos ex plebe * securi subjecit, & cum bella periclaque zelo fidei Christianæ suscepit pertulitque, non solum cum provinciam totam Hussitani depopulati sunt, sed tum quoque cum creatum hæreticum Boëmiæ REGEM GEORGIUM pertinacissime recusavit, solaque primum à tanto Regno descivit, jussui maximi pontificis obsequens, nec deterreri minis à proposito potuit, quamvis in eam totius provinciæ vires cum Boëmorum auxiliis insurgerent, & suorum etiam quidam prodere conarentur, qui tanquam pro salute ejus solliciti, ne provincia præcipitaretur, pacti antea defectionis impunitatem promiserunt hostibus urbem se citra sanguinis effusionem tradituros: quod tametsi tentavissent sub exercitus hostilis adventum in diversam mœnium partem propugnatores avertendo, speculatores corrumpendo, bombardarum usum auferendo, perficere nequiverunt, quin plebs vigilantissima & quaqua versum intenta persentisceret, & hostem violentissimo impetu cum ejus ignominia & pernicie rejiceret, & à rege Poloniæ præsidii spe frustrata ad HUNGARIÆ REGEM MATHIAM confugit, qui tandem commendante pontifice maximo supplicem tuendam recepit; tum præparata videns auxilia reliqua quoque provincia deficit, & WRATISLAVIENSIUM est exemplum secuta: At ipsi non ** contenti hostem submovisse, FRANCOSTEINICA EXPEDITIO PARUM PROSPERA:

* Vid. Lemmat. Historic. Sect. II. §. 3.

** Has Vratislavienſium expeditiones an. 1467. & 1468. ſuſceptas, ſuſius ex Henelii Breslographia in notis ad Sileſiograph. Reverend. Fibigerus Tom. I. Cap. VII. pag. 110. edidit: Roſizius in Chronica & numero Epiſcop. Vratislav. MSt. quædam ad annos hos, ſed an. 1470. deſinit. Fortunam ſecundam experti ſunt noſtrates ſub initium, adverſam ſub finem, duce Monſterbergenſem Ducatum, quem ſex hominum millibus & octingentis equitibus

(ſi

visse, eique cum Hungaris bellandi negotium feciſſe, etiam poſſeſſa ab hæreticis oppida expugnare aggreſſi præſentius incidere diſcrimen, freti etiam præter ſuas auxiliatoribus ab Epiſcopo JODOCO & cruce ſignatorum copiis, quibus civitatis nomine Steinkellerus equiti, Scoppe, Jencowicius & Slaberdorfius pediti, antiſtitis vero nomine Henricus de Viſen & Seidelicius quidam præerant, Monſterburgium ceperunt, ſimiliter & Francoſteinium, cujus arcem dum jam victam recipiunt, deditionisque conditiones dictitant, ecce Boëmis concurrentibus DUCE Volvilo (cui tum GLOCIUM OPPIDUM parebat) cœpti ſunt obſidentes obſideri, dumque civitas Ducem * Baldaſſarem conducto militi præficit, dum Regiarum urbium ſubſidia mille militum ſub Tiprando & Reibenicio Ducibus contrahit, & dum hæc cum VICTORINO hæretici Regis filio (qui novis cum copiis, ut obſidionem perimeret, approperabat) prœlio decernere detrectat, interim obſeſſi equites mora fatigati eruptionem NISSAM verſus fecere, deſtituti pedites vi ſubacti ac deſperationi ceſſerunt, multi paſſim cæſi, MCCC. capti cum bellicis tormentis ac machinis in BOEMIAM abducti ſunt; & quamvis hac oppreſſa clade cum Hungarica ope tum quidem civitas eſt defenſa, nec diu quievit. Nam defuncto hæretico Rege, cum orthodoxum *Cazimiro* POLONIÆ REGE natum ** VLADISLAUM in REGNUM BOEMIÆ evocaſſent, novi belli cauſa fides extitit HUNGARIS ſervata, quos etiam adverſus hæreticum Regem. In-

(ſi Epiſcopi militem addas) occupaverant, non absque damno amittunt. Capta quoque fuit à Bohemis ingens illa machina muralis (die groſſe Breslawiſche Büchſe) quam XXV. equis advehere opus erat, & Pragam quaſi triumpho quodam allata. add. Pohlium in incendiorum hiſtoria p. 47. ſeqq.

* Saganenſem, fratrem Joannis II. add. Curæum in Annalibus Part. II. ad an. 1467.

** Subiit tamen VLADISLAI obſequium urbs, ſed non niſi mortuo MATHIA. vid. Sect. II. §. 7. Lem. Hiſt.

* * * *

transeat.

INcipiemus igitur à CROSNA, quæ ſita in confluente Boberæ & Oderæ fluminum, ad occaſum ſolſtitialem MARCHIAM contingit, piſcium copia nobilis, & vinetis conſita, unde vinum ſubacre plurimum WRATISLAVIAM usque defertur, hæc † MARCHIONI BRANDENBURGENSI de Glogovienſi Ducatu vendita ſervit; †† SAGANA vero ſimiliter in eodem tractu Principi SAXONIÆ, quam notiorem facit dives Canonicorum regularium monaſterium, & abhinc cognomen SAGANENSIS obtinuit DUX ††† JOANNES, qui MARCHIONIS, quique REGIS UNGARIÆ MATHIÆ aliquamdiu arma ſuſtinuit: huic adjuncta SORA conſors eſt & ſervitii & dominii: FRAUSTADIUM multo ante alienatum tenetur à POLONIS: GLOCIUM in Boëmico limite (quod olim Ducem ſuum habuit) ad montana ſubmotum, & arce munitiſſima clarum, nunc emtum Bruſſenco Comiti paret: cætera de Ducatibus oppida ſervitutibus obnoxia SILESITANIS fere dominis ad tempus ſubjacent, ex Glogovienſi Suibuſum, Freiſtadium & Wola, ex Legnicenſi Lubum, ex Glocienſi

CROSNA:

SAGANA:

SORA:

Z Franco-

† Hic tranſitio de rebus urbis ad reliquarum deſcriptionem in MSto deeſt: en! quod ſufficiat ſupplementum: (conſtanter erat ſecuta. Sed dum reliquas quoque Sileſiæ urbes deſcribere mecum conſtitui, hoc interim) tranſeat.

†† Henricus XI. Dux Glogovienſ. an. 1476. mortuus, Crosnenſem ditionem Barbaræ viduæ, ALBERTI ACHILLIS FILIÆ, teſtamento legaverat; hinc MARCHIONIS BRANDENBURGICI eſſe cœpit, præſertim cum an. 1528. FERDINANDUS I. titulum Ducatus concederet, & poſſeſſionem approbaret.

††† Joannes Saganenſis Dux ære alieno gravis ERNESTO Electori & ALBERTO SAXONIBUS, MATHIA Rege conſentiente, Ducatum an. 1472. vendidit, quorum & ille an. 1473. homagium præſtitit, inde Ducatum ALBERTO FRATRI tradidit, à quo Ducum Saxonicorum Saganenſium ſeries ortum ducit. Poſt varias inde vices an. 1646. ad PRINCIPES LOBKOWIZIOS pervenit, hinc noſtra ætate DUX SAGANENSIS SERENISS. PRINCEPS PHILIPPUS LOBKOWIZIUS.

Francoſteinium & Monſterburgum, ex Oppavienſi Luſſicium, & quod poſitum in colle Hoceplocium: nam quod * pagum venatoris vocant, ſuum adhuc Ducem habet; quanquam ab occupatore proximum oppido caſtellum jam ſit infeſſum. Sed nunc ad certas
LIGNICIUM: Ducum urbes & perpetuas veniamus: ** LIGNICIO urbi veteri DUX præſidet, cincta eſt muro, foſſaque duplici, aquis ad ſummum ſtagantibus, riguo loco ſitam foris alluit fluvius, quem RIVUM CATTORUM appellant, intus quoque rivus alius perfluit, ædibus ſacris privatisque, foro & portis WRATISLAVIÆ ſimillimam; nam & ſecundum eandem monaſteriorum eſt locupletiſſima, habens & eccleſiam, ſed collegiatam. Arx eminet foſſis munita, tribusque turribus & una altiſſima conſpicua; numeratur hæc civitas inter quinque SILESIÆ primas. Huic adjuncta
HATNA: eſt Hayna, præter caſtellum & templum nil habens memorabile, ut quæ fuerit pernicioſo incendio conſumta: ſervit quidem, ſed ei, qui ipſe Duci ſubjectus
MONS AUREUS: eſt: MONTEM AUREUM, qui eidem paret, oppidum appellant, ubi aurum quondam effoſſum eſſe foveæ indicant, unde & nomen inditum, hodie reperitur laſura, quæ picturas ornat. Sub eodem DUCATU
BREGA: longius tamen hinc ad ortum diſtans oppidum BREGA; ſic enim malo nominare, quam quod Polonicum ſuo ſibilo & ſtridore Brzegam dicunt, quod & Alemannis eſt familiarius, & cognomen eſt multarum in

* Ducatus Carnovienſis (Jägerndorff) & Oppavienſis, hic an. 1614. à MATHIA, ille an. 1623. à FERDINANDO II. ad PRINCIPES LICHTENSTEINIOS, ob damnum in ditionibus ſuis à Bethlemo Gaborio paſſum, fuit delatus; hinc uterque dominum jam habet SERENISS. PRINGIPEM JOSEPHUM JOANNEM ADAMUM LICHTENSTEINIUM.

** Eſt inter Clar. Schurzfleiſchii LX. diſſertatio, quæ origines inclytæ Sileſ. urbis Lignicii tradit; Thebeſii JCti memorabilia urbis Lignicenſis & Geſta Ducum Lygio-Bregenſium MSta in Specim. Ill. Miſcell. litterar. de ineditis Hiſt. Sileſiacæ Scriptor. Clar. Rungius recenſet,

in HISPANIA civitatum. Ea jacet ad Oderæ ripam, qua altiuscula eſt, unde altam ripam (ut in antiquiſſimis monimentis eſt) quondam lingua teutona vocarunt. Ejus auctorem DUCEM olim SILESIÆ CONRADUM prædiximus, quia cum legibus & jure WRATISLAVIENSIUM juſſit uti, tum valde munivit, muro undique cingens & craſſiore, qua fluminis alluvio caret, qui binos tuto ſimiliter ambulantes capit, cui etiam agger cum lorica foſſaque & antemurali protenditur. Templa mediocribus majora quinque comprehendit: Quorum quatuor fratres Ordinum S. Franciſci, S. Dominici, S. Antonii, (a) S. Joannis Hieroſolymitani tenent, quintum ad Ducalem ſedem Canonicorum habet collegium, cujus Decanus inter ſacrificandum Epiſcopalibus utitur inſignibus: Multis hoc erat olim donariis ſanctorumque reliquiis, antequam toties urbs inſidiis caperetur, opulentum, & quamvis ambitu majorum fere urbium ſpatium includit, non perinde tamen eſt populoſa, quod eam partim hoſtes, partim flammæ, quibus æque fuit obnoxia, vaſtam reddiderunt. Fert inſignia trium anchorarum, habet S. Nicolaum Patronum, quod indicio eſt, maritimas, urbes, quæ ad Balteum Sinum in Pruſſia ſunt, hic celebraſſe commercia. Satis circa patriam noſtram immorati, reliqua jam deproperemus: *OLA
OLA: proxima eſt, tenuis quidem ipſa, ſed non tenuis ex agro: ipſius maxime piſcium proventus, eoque præter ampliſſimas piſcinas etiam Oderam habet, & trans flumen variam quoque & multiplicem venationem:

(a) In Sileſ. Renovat. cap. VII. p. 60. hic verba quædam ſequuntur, quæ in MSto, quo utor deſunt; de M. Corvino Rhonano.

* A fluvio nomen adepta, arce inſignis, quam an. 1654 Dux Chriſtianus Wohlavienſis extruxit; ſed multum in bello Tricennali à Suecis paſſa eſt, ut ex Pufendorffii Commentariis Rer. Suecicarum conſtat.

STRELUM: ad meridiem STRELUM ſitum eſt oppidum, nihil habens, quod referatur, præterquam quod eidem ſubjectum eſt Ducatui, cui ſuperiora, & in eo cœnobium eſt Sanctimonialium, & circa campus frumenti admodum fertilis. Hæc ſunt munita * Lignicenſis Ducatus oppida; neque enim alia temere, quam quæ muro clauduntur, recenſeo, ideoque † Nymtium, †† Picium, Cruciburgum tacui, taciturus eadem de cauſa alia deinde plura.

OLSNA: Reſtant qui trans Oderam ſunt Ducatus: In ** OLSNA DUX reſidet clauſa quidem & munita, ſed quæ præter caſtellum DUCIS ſedem tota ligneis ædificiis conſtat. Nec aliud eſt inter multa ipſi circumjecta vel longius etiam ſepoſita (quod eo ſaltem pertineat) oppidula, quod æque ſit munitum; nam & *** BERNSTADIUM nudum, & **** MILITIUM nudum

* Non ſingula in Ducatu Lignicenſi ſita, ſed cuncta ſub Ducum Lignicenſium Fratrum ea, quæ ſcripſit Stenus, tempeſtate Imperio, Fridrici nempe II. qui Lignicii & Georgii I. qui Bregæ ſedem fixit.

† Urbs, quæ Lohenſteinio an. 1635. dedit originem, & Henrici II. Imperat. ævo munitiſſima fuit Ditmaro Merſeburgenſi ad an. 1017. teſte, ab Huſſitis an. 1431. capta, ſed à VRATISLAVIENSIBUS an. 1434. fuit recepta & arx deſtructa.

†† Olim Ryczinum, ubi Epiſcopatus VRATISLAVIENSIS ſedem habuit, antequam in commodam S. Joannis inſulam Caſimirus I. transferret.

** Schurzfleiſch. Diſputat. XIX. quæ Lemmata Hiſtor. ad Sileſ. pertinentia habet, §. 17. hæc: Illud ſingulare eſt, quod OLSNÆ PRINCIPATUS devolvitur ad fœminas, atque hoc obtinet ex permutatione Bodebratii in Bohemia ſiti, & fœmineo jure præditi (unde appellati ſunt domini de Bodebrat) quod HENRICUS DUX MONSTERBERGENSIUM VLADISLAO BOH. REGI tradidit, atque ejus nomine OLSNAM recepit. Itaque connubio ELISABETHÆ MARIÆ, CAROLI FRIDRICI DUCIS MUNSTERB. filiæ, delatus eſt ad STLVIUM NIMRODUM DUCEM WURTENBERGICUM, quod recens manifeſtumque eſt juris uxorii argumentum. Præſens DUX nepos eſt STLVII NIMRODI SERENISS. CAROLUS FRIDRICUS DOMINUS mihi longe CLEMENTISSIMUS.

*** Ducalis noſtra ætate ſedes Lineæ Juliobrgenſis, quam JULIUS SIGISMUNDUS STLVII NIMRODI FIL. condidit.

**** Nunc inter Dynaſtias Sileſiæ liberas ſecundum MILICENSIS locum occupat, cujus jam DOMINUS eſt CELSISSIMUS COMES, JOACHIMUS WILHELMUS MALZANIUS AUGUSTO IMPERAT. CAROLO VI. A CONSILIIS INTIMIS.

dum, quam tamen arx munit, & Trebnitium nudum, niſi quod hoc monaſterium Sanctimonialium nobilitat, quod ſanctiſſima DUX HEDWIGIS non tam ſtructuris, quam corpore ſuo jam conſecrato illuſtravit, quo ex univerſa SILESIA & magna POLONIÆ parte ad honorandum Divæ reliquias tumulumque venerandum frequenter concurritur, WRATISLAVIA potiſſimum unde tribus non magnis milliaribus abeſt. Dux iſte longe hinc REICHSTEINIUM quoque REICHSTEINIUM: montanum oppidum poſſidet, ubi aurum effoditur, magno multorum detrimento, quod nimis operoſe & non niſi gravibus impenſis eruitur. Ex eo cuduntur aurei nummi Renenſibus æquales. Sequitur è Polonia SILESIÆ, quam trans Oderam eſſe diximus, DUCATUS OPPOLIENSIS omnium opulentiſſimus, parvis quidem oppidis ſed multis frequens, cujus caput OPPOLIUM ad Oderam ſitum arce munitiſſima, OPPOLIUM: propugnaculis & turribus, eccleſia collegiata gaudet. Ex multis autem oppidis eo pertinentibus, quæ vix comprehendere numero facile eſt, pauciſſima muros habent: † GLOGOVIAM, quam minorem cognomi- GLOGOVIA nant, alteram olim DUCIS ſedem notiorem facit Cano- MINOR: nicorum collegium: GLEVICIUM lupuli magnus proventus, quo ad cereviſiæ cocturam tota SILESIA utitur: CRAPICIUM ad Oderam jacet: URBS NOVA in HUNGARIAM & MORAVIAM euntibus occurrit loco munito: ſed viam in minorem POLONIAM obſident Coſelinum, Toſtum, Strelicium, & ad extremum SILESIÆ limitem †† BITHUM; omnia cincta BEUTHUM: partim mœnibus, quædam etiam vallo foſſaque. Poſt

† Huc Joannes Caſimirus POL. REX armis Caroli Guſtavi Regno ejectus an. 1656. confugerat.

†† Inter Dynaſtias Sileſiæ liberas BEUTHENSIS ſive BTTHENSIS hæc quintum locum occupat, cujus dominus nunc EXCELL. COMES JOSEPHUS ERDMANNUS HENCKELIUS.

RATIBORIUM: hunc ad meridiem DUCATUS est RATIBORIENSIS: RATIBORIUM oppidum super Oderam situm * DUCEM alit, Ducumque sedem habet, nec non & collegiatam ecclesiam; super eum TESSINA est urbs, TESSINA: cujus ** DUX aliquamdiu totius provinciæ administravit præfecturam: sed horum Ducatuum uterque pleraque continet oppidula, quæ, quia nominis sunt obscuri, recensere non est operæ pretium: verum TESSINENSIS è vivariis abundat piscibus, adeo ut eorum copia Cracoviam totius SARMATIÆ Regiam alat, & sint inde DUCI vel maximi reditus: hic eum angulum occupat, qua SILESIA angustissima ad HUNGARIÆ, POLONIÆ, MORAVIÆque fines longissime excurrit, hæc fere trans Oderam, quæ plurimum Polona fantur lingua.

Redeamus rursus ad ea, quæ citra sunt, quibus & sermo & cultus politior, ubi DUCATUM unum reliquimus, quam perinde ac liberum liberaliter EPISCOPUS VRATISLAVIENSIS gubernat: ejus caput & NISSA: urbs prima *** NISSA, quæ duplici alveo Bilam fluvium transmittit, altero tres, altero sex frumentacearum intra mœnia molarum rotas impellente, quam & foris ejusdem cum urbe nominis flumen alluit: Jacet & in amplissima & rigua valle à montibus eousque porrecta, gemina fossa stagnantibus undis plena, gemino itidem muro circumdata, turribus, EPISCOPALI CURIA, sacris ac privatis ædibus conspicua, sed una, præ-

* Dux ultimus ex Premislai Ottocari BOH. REGIS stirpe Valentinus an. 1516. habet.

** Ultimus Fridericus Wilhelmus an. 1625. diem suum obiit: Dux vero Tessinensis, qui (uti Stenus habet) provinciæ totius præfecturam administravit, CASIMIRUS erat, qui Silesiæ ab an. 1490. usque ad an. 1504. summa cum laude præfuit.

*** Henelium in Silesiogr. Renovata cap. VII. §. 102. de Nissa, iterum Steni nostri vestigiis insistere cognovimus. Est sane urbs pulcerrima, quam JAROSLAUS DUX VRATISLAV. cum sua regione Ecclesiæ Vratislaviensi intulit, adde quæ ex Rapoldi Hist. de Illustr. Silesiæ Ducatu MSta & Casp. Sommeri Silesia Pia MSta Sect. I. cap. 4. §. 2. in notis Lem. Historic. diximus.

præcipue S. Jacobi Basilica, omnium, quæ sunt in SILESIA maxima, longe præcellit; habet & Canonicorum collegium, sed in suburbio, quod veterem urbem nominant, ubi alia quoque nec inornata templa: huc pertinet † GROTTICA, tota lignea, & ideo flammis GROTTICA: obnoxia, huic adduntur aliæ tenues, quarum VANSAM maceria claudit †† CANTIUM arx modica VANSA: &c. ostentat, major autem Ottomachovium, parvum quidem, sed muris clausum oppidum, cui supereminet arx in colle sita, fossis & loricis, propugnaculisque tutissima: nec procul hinc alia nova S. Joannis nomine, colli similiter impositа: Sunt deinde subjecta montibus PATESCA, quam ††† clamidis raptricem vocant, ob latrocinia, quæ supra eam in montibus fuerunt: nam isthac iter arduum, * demersorium cognominatum in MORAVIAM ducit, quod monticolæ Boëmiæ frequenter obsident; hanc vero quamvis nudam, refero tamen ob aurum, quod invenitur ibi fossiticum, & in ramentis solidum ac purum variis figuris, ut etiam simulacra quædam repræsentet, repertum jam quidem (quod) CXX. aureos uno frusto appendit, suspicio est frustatim huc aquarum violentia ex montis alicujus visceribus subterraneis cuniculis trahi, quod fere fractum & attritum apparet, & aquæ tanta vis, ut quamvis avaros quærentes tamen deterreat. Superest unum, quod CAPRÆ CERVIX appellatur, fossa mu- CAPRÆ CERroque cinctum, media ferme via NISSAM à montano VIX: tractu redeuntibus, huc addatur & Lübenthalium & Raudinium, quæ quamvis EPISCOPI non sint, ecclesiasti-

† Vid. Sect. IV. §. 2. in notis, ibique Rapoldum.

†† Ducum OLSNENSIUM quondam peculium, quorum CAROLUS sapiens id an. 1471. Episcopo RUDOLPHO concessit.

††† Zuckmantel.

* Das Gesencke, antiquitus Gabreta Sylva.

siasticis tamen parent personis; illius enim sunt Sanctimoniales, quæ illud ipsum cum civibus inhabitant, hujus vero Abbas & Monachi possessores.

Nunc porro liberas ad urbes pergamus, & imprimis ad eas, quæ libertatem vix dudum plenam nuper ex magna calamitate sunt adeptæ: Quarum est princeps * Major GLOGOVIA clade, quam sua claritate notior. Nam sub ** DUCE JOANNE (cujus jam semel mentionem fecimus) semestri obsidione pressa, REGIS HUNGARIÆ MATHIÆ exercitum, & totius reliquæ SILESIÆ copias, vim, machinas, tormenta sustinuit, postremo insula (quæ jacet è regione urbis) capta, cum undique similiter fame similiter hostibus infestis urgeretur, dedita, tandem etiam igni, non quidem hostili, sed fortuito conflagravit: Passa dein varias tyrannides maxime Polonorum, quibus duos † Reges misit, ad extremum se ab HUNGARIÆ Rege, ne eam tyrannis ulterius donaret, redemit. Sita est in agro uberi ad Oderam fluvium, castellum habet, olim †† Ducum nunc quoque præfectorum sedem, secundum à WRATISLAVIA latitudine muri complectitur (locum,) (&) ecclesia ibi collegiata secundum WRATISLAVIENSEM redituum ditissima: Odera ab urbe dirimitur, cujus alveus alter eam & à tergo clausam in formam insulæ redigit. Crescit urbs ipsa fortunis, & pristinum statum facile transcenderet, nisi quod præferocem recens gustata libertas efficit, ut contra vetitum merces è Polonia transmittat, WRATISLAVIÆ magis pertinacia quam viribus æmula:

MAIOR GLOGOVIA:

ejus fata.

Ad

* Ab Henrico II. IMP. bina quondam vice, sed frustraneo conatu obsessa: Ditmaro teste.
** Vide Curæum in Annalib. Part. II.
† JOANNEM ALBERTUM & SIGISMUNDUM Fratres VLADISLAI REGIS.
†† Quorum ultimus Henricus XI. an. 1476. defunctus est.

Ad Polonicum limen * Gora est, quæ sola suum peculiarem habet nummum & quod lanariis abundat, magno numero POLONIÆ pannum mittit; in eodem tractu SPROTTA BOEMORUM, quos ibi SILESITANI profligaverunt strage nobilis: est & MONS VIRIDIS ibidem opere manuque munitum oppidum; quod aliquot viros educavit magnis civitatibus dignos. Cætera DUCATUS istius diximus à dominis occupata, vel quod se redimere non possent, vel quod donatione regia in jus alienum jam concesserant. Ad Moraviæ posita fines OPPAVIA, regio præfecto SILESIÆ sicut ea, quam modo memoravimus, Glogovia cum suis oppidis commissa est, urbs melioribus potius annumeranda, moribus ac sermone Moravos referens vicinos.

GORA:

OPPAVIA:

Sed jam rursum montanum tractum à meridiano latere cingentem subeuntes, inveniemus urbem ** SUIDNICIAM, multo nomine inclytam, & quod liberarum quasi alterum caput est, & quod in loco sicco fossa, muroque duplici, turribus altis, stantibus etiam templis pro portarum tutamine munitissima est, & quod ex profundissimis puteis haustam aquam mixto similiter hordeo cum lupulo in potum corrumpit, quem tota SILESIA civitates publice vendunt, conciliat potui eam gratiam suavitas quædam pinguis, coquunt eum cives pene omnes, unde ipsis maximi reditus: Ædificia urbis lapide constant, tecta vero ligneis tegulis. Huic propinqua † STRIGOVIA, pulcre munita,

SUIDNICIA:

STRIGOVIA:

* In cujus districtu Juris Polonici adhuc usus, quod das Zauden-Recht vocant: vid. Seidelii de Processu Juris Silesiaci lib. I. cap. I. §. 2.
** Ducatus Suidnicensis & Javoriensis hoc singulare habent, ut primogenito Regis BOHEMIÆ subsint, ex Privilegio CAROLI IV. IMP. an. 1356. die Ambrosii editi, hinc in ejus verba jurant.
† Quam terra sigillata nobilitat.

JAURUM: pulchreque ædificata; nec ab hac longe distat † JAURUM, nec ipsum in ultimis numerandum, cum superioribus fœdere junctum suam libertatem tuetur, unum ex omnibus in hac provincia vetustatis titulo gloriosum, ad cujus multarum civitatum leges directæ

CERVINUS MONS: sunt; montanis subditum, quod CERVINUM MONTEM appellant, parvum est oppidum, sed egregie cinctum, circa quod †† Thermæ salubres & aquæ medicantes, unde vis etiam magna calcis WRATISLAVIAM usque devehitur, lapidis quoque quadri copia. Est ibi etiam, quod Divitem Rivum sua lingua vocant, nominis causam arbitror esse, quod olim collati sub illis montibus rivuli per arenam auri grumos ostenderunt, unde plurium etiamnunc pagorum nomina, quod de Pactolo, Tago, Hermo veteres prædicarunt. LEONOPOLIS deinde frequens civibus, &, ut in hac regione captus est hominum, ingenio pollentibus, unde & plures WRATISLAVIÆ potentes orti sunt. Texendo panno deditos infestant latrocinia, quæ vendendi gratia mercis exeuntes sæpius invadunt & spoliant, ut in angulo novissimo vicinorum præsidio destitutos. Est æque ad LUSATIUM limitem, longius

BOLESLAVIA: tamen à montibus submota * BOLESLAVIA, sed quæ cum latronibus pacem habet, quod rarissime quemque eo præterire impune sinunt: ipsa muris & fossis satis tuta longius à mœnibus Boberum fluvium habet; sed intus aquis facit abundantem fons perennis unus, prope mœnia scaturiens affluenter, qui per canales immissus omnibus affatim sui copiam suppeditat: nam

† Annales Jauranos MStos in Fascic. IV. de quibusdam ineditis Hist. Silef. Script. Rhonius recenset.

†† Quas Fechnerus Carmine celebravit, quod integrum nofis Silefiograph. Renovatæ Reverend. F B GERUS addidit cap. V. p. 605.

* Mart. Gerstmanni Episcopi VRATISLAVIENSIS, & celeberrimi vatis Mart. Opitii patria,

nam & ex hoc cerevisia coquitur multis expetita. Quæ reliqua sunt NOVUM FORUM & NAMSLA WRATISLAVIENSIUM respiciunt imperium, quorum sunt in clientela, utrumque muro clausum & castello munitum, sed inexpugnabilior † NAMSLA, quæ ultra Odoram POLONIAM versus est sita loco paludoso, uno tantum aditu à terra, cui turres & fossæ sunt objectæ.

Hæ fere sunt, quas SILESIA continet urbes, ita munitæ, ut arcere vim & à subito hostium assultu defendi possint, nisi quæ forte memoriam meam fugerint, fuisse autem suspicor, eo quod olim REGI MATHIÆ, cum ad defensionem Regionis hujus adversus hæreticum Regem invitaretur, scriptum comperio, super LXX. in hac esse oppida munita, quod adhuc non invenimus, sed nec angulos omnes excutere in animo est. Nam quæ jus civitatis habent, dimidio totidem numerari possent, quorum nomina recensere, nec est facile, nec nobis vacat. His omnibus interjecti pagi ac vici sunt innumeri, ditiores ubi Germani tenent, quorum partem sed minimam cives possident, majorem sacerdotes, collegia monasteriorum, Conventus & Abbates habent, principes & nobilitas maxi- NOBILITAS:
mam. Hæc urbes exterius circumsidet singulas multifariam, maxima parte ruri agens, muris instar domitorum animalium includi dedignata, & nobilitas appellari gaudet, quod intemeratam stirpem generis conservet, clypeis & insignibus vetustatem ac majores ostentet, & sola in bellis equo mereat & principibus proxime adsistat: Exercitata præ cæteris, consilio manuque promta, quod, qui periculum fecit, REX ipse

URBIUM NUMERUS:

† Quæ & Clavis Silesiæ audit, hinc an. 1652. in Comitiis ordinatum, ut curatius muniatur.

MATHIAS prædicavit, SILESITANUM militem domi nec inutilem, sed foras progressum & exercitatum plus quam virum esse. Hæc munitas plurimum sedes habet, & circa montanum tractum potissime, ubi frequentior est & liberior: illic arces & castella montibus imposita, ex quibus celebriora, vel lapidis habent additamentum nominis: Itaque vocant lapidem principum, lapidem Grifiorum cum oppido subjecto, lapidem talcum, lapidem frigidum, * lapidem nobilem sed horum alterum nuper, alterum multo ante EPISCOPUS WRATISLAVIENSIS demolitus est; vel etiam domus cognomentum habent, sic nova domus, **lenensis domus, verum nomen oppidi, quod Lenum dicunt. Est item arx, quam primum Racum, est quam Xomelum appellant: *** Bolchenaniam notiorem reddit appositum oppidum: Grotesburgum Dux Lignicius: Ottomachovium & montem S. Joannis WRATISALVIENSIUM antistes obtinet in mediterraneis: nam reliquæ, quæ memoratæ sunt ad Boëmicum limitem assurgunt, & à nobilibus fere possidentur. Quæ in Sequaci monte † quondam munitissima fuit, magnæ parti provinciæ conspicua, diruta jacet: jacent & aliæ pene plures, quam supersunt (exceptis his, quæ sunt in urbibus) quæ ob latrocinia nimis essent infestæ, expugnatæ dirutæque communibus urbium liberarum & Regiis viribus, nec arces modo, sed oppidorum etiam quorundam muri, ut Hoceploci, Friburgii, quod occupantibus latronibus hospicia opportuna præberent. Familiæ nobilium multæ, quas inter eminent Boccenses, Hugwicii, Cedelicii, Hobergii, Seidelicii, Ribergii, Reibnicii, omnium vero tantus numerus, ut duo equitum millia facile possint instruere; qui reliquos pagos ex donationibus DEI causa maxime possident, diximus esse sacerdotum & religiosorum conventus: ex quibus collegia Canonicorum cum suis civitatibus invenimus septem, sunt & VRATISLAVIÆ duo & præterea Cathedralis, quæ non minus quadraginta Prælatis & Canonicis constat, qui vicarios totidem habent, præter quos in omnibus pene collegiis sunt mansionariorum chori singuli, qui horas B. virginis canunt: in quibusdam bini, quorum alteri horas de passione DOMINI, alteri quid aliud concinunt: Religiosi conventus tot sunt, ut Abbates inveniantur novem aut decem, Canonicorum regularium duo, unus Præmonstratensium, cæteri Cistercienſium, Lubicensis, Camencensis, Henrichovensis, Grissensis, Orlavensis, Gemmelnizensis, Rudensis, & qui in præpositura Novoforensi residet Boëmia depulsus. In his personarum, qui DEO famulantur, numerus iniri non facile potest, tot in omnibus oppidis monasteria, ut quo majus quodque fit hoc plura: sunt ut quæ paulo ampliora bina terna quaterna foveant, præter ea & altari servientium sacerdotum magnus ubique numerus. Hoc fecit gentis pietas, quæ ut ex novissimis CHRISTI fidem accepit, sic omnium maxime in DEI cultu ferbuit, & in opera pietatis præ cæteris arsit, quod & indicat templorum magnificentia ornatusque in tabulis, signis & vestibus, gemmis, argento, margaritis, auro insignibus. Natio tota in pauperes & egenos

* An. 1467. castrum hoc Jodocus Episcopus Solo æquari fecit.

** De qua Fechnerus: Præbuit hoc olim gratum dulcemque recessum
HENRICO, promissa dedit cui nobile barba
Nomen &c.

*** Bulckenhayn, à Bulcone Duce Suidnicensi urbs cum arce extructa, nunc castrum sub cœnobii Grissovienſis dominio est.

† In monte Sabotho planities extruendo Castello (cui Fürstenberga nomen) locum dedit.

liberalis & benefica, circa calamitoſos miſericors, quod mendicantes alienigenæ turmatim iſtuc convolantes teſtantur; multæ quas appellant eleemoſynæ, & ipſæ anniverſariæ, teſtamentis paſſim in urbibus inſtitutæ declarant, quæ vel publice vel tributim vel etiam à privatis ex annuo cenſu egentibus indifferenter erogantur, in calceis, capiciis, veſtibus, in ſportulis panum, carnium, piſcium, juſtis etiam cœnis & balneis, quæ majoribus in oppidis animarum vocantur, (quæ in ſalutem defunctorum fiant) hebdomadatim exhibentur: oſtendunt idem & xenodochia, orphanotrophia, domus hoſpitales, nusquam non egregie conſtructæ, quibus ſeparatim peregrini, pauperes, ægroti, infantes expoſititii recipiuntur ac foventur. Præter hanc, quam diximus pietatem, fides quoque genti ſanctiſſima, eoque rariſſima & infamia perjuria; hinc & juris & ſtipulationis loco ſimplex habetur aſſertio, negare dictum quod dictum, eſt turpiſſimum. A cæteris Teutonis, à Polonis etiam hujus nationis homines bleſo quodam, ſed non indecore, præſertim in fœminis, oris ſonore diſcernuntur: qui peculiaris eſt, his maxime, qui natale ſolum nunquam egreſſi, niſi patrium ſonum linguamque non norunt.

Attrita eſt hæc terra gravibus ſæpe bellis, è quibus ea tamen perſtringam, quæ noſtram, patrum, avorumque noſtrorum memoriam non excedunt, quorum fuit urbium muniendarum cauſa præcipua, quod impacati finitimi, quoad arcerentur munitionibus, quieſcere nollent. Bis hoc tempore Boëmorum, bis Polonorum ſenſit impetum, Polonis utroque cauſa honeſtior, quia finium & Regni, ſed exitus utroque calamitoſus & infelix, ut qui pulſi fuerint & male habiti,

POLONORUM IN SILESIAM IRRUPTIONES:

biti prius, quam ALBERTUS FRIDRICI (qui poſtea ejus nominis *Imperator* tertius fuit) FRATER, à Boëmis Rex declaratus, competitorem Regni habuit KASIMIRUM, VLADISLAI POLONIÆ REGIS FRATREM, & ipſum à paucis hæreticis evocatum, qui, tametſi ſuus exercitus in BOEMIA disjectus eſſet, non ceſſavit, SILESIAM ALBERTO faventem infeſtis incurſionibus igni & ferro corrumpere, donec & ipſius ALBERTI jam IMPERATORIS (qui WRATISLAVIAM usque deſcendit) præſentia & † MARCHIONIS BRANDENBURGENSIS Imperatori cognominis ibi præſidio relicti viribus pulſus eſt & fugatus. Iterum multis interjectis annis idem Rex cum filio ſuo VLADISLAO non jam Regnum BOEMIÆ, quod habuit, ſed fines, ut SILESIAM, quæ defecerat BOEMIS aſſereret, & id communibus utriusque Regni copiis duobus exercitibus provinciæ infenſus incubuit; ſed tunc quoque fruſtra, vendicante ſibi provinciam †† MATHIA UNGARIÆ REGE fortiſſimo bellatore, à quo Polonus, cum nullam urbem expugnare potuiſſet, variis detrimentis affectus, multis ſuorum captis, cum fame inſuper laboraret, ad conditiones pacis deſcendere coactus eſt, atque ita ſubmotus, quod in ††† WRATISLAVIENSIUM poſtea REBUS latius proſequemur. BOEMI latrocinantium magis, quam bellantium, more SILESIAM pervagati ſunt, ſimiliter cum ab Eccleſia Romana deſciſcentes, & ob hoc graviter vaſtati ex deſperatio-

† ALBERTUS BRANDENBURGICUS, qui ob virtutis egregiæ monumenta edita Achilles Germanicus dici meruit, & an. 1438. Sileſiæ Præfectus Polonis in Sileſiam irruentibus optime reſtitit, damnaque provinciæ illata in ipſa Polonia vindicavit: Filia Barbara Henrico XI. ultimo Glogovienſium Duci nupſit, & Ducatum Crosnenſem DOMUI BRANDENBURGICÆ intulit, cum an. 1510. vidua obiret: An. 1528. titulus quoque à BOHEMIÆ Rege FERDINANDO conceſſus.

†† Vid. Lemmat. Hiſtor. Sect. II. §. 6.

††† Quas utinam benignum nobis fatum concederet!

ratione omnia ſecum perdere maluerunt, quam ſoli perire: itaque quemadmodum Zeisca & Procopio Ducibus proxima quæque, ſic * SILESIAM Berico Stamicenſi quondam Duce depopulati ſunt, multa ferro conſumentes & igni, quibus, cum nec SIGISMUNDUS quidem IMPERATOR cum totius Imperii & UNGARICIS viribus par eſſe poſſet, hanc quoque regionem impune diripere licuit, quando eos ut invictos ab agris ſuis etiam magni principes avertere pacta pecunia ſatis haberent. Hæc HUSSITARUM EXPEDITIO vocata (quod JOANNEM HUSS erroris autorem veluti prophetam habuiſſet) multoties eſt deinde cladibus ſæpe repenſa. Nam ſicut hæc patrum noſtrorum memoria fecerant, ita noſtra cum ſimiliter, verum conſilio privato & mercede conducti (quaſi Glogovienſem obſidionem ſoluturi) irrupiſſent, & incendiis & cædibus ſævire cœpiſſent, ab equitatu SILESITANO & UNGARORUM TRIBALLORUMque levis armaturæ equitibus, quibus albus Hugwicius præerat, oppreſſi ac deleti pœnas temeritatis dederunt. Perſtrinxit nonnihil, ſed partem modo provinciæ, à Marchia tempeſtas in ** DUCEM JOANNEM SAGANENSEM mota, concuſſit etiam totam in eundem *** à Rege Hungariæ expeditio, ſed tum juxta

* Curæus in Annalibus Sileſ. anno 1426. factum eſt initium irruptionum Huſſiticarum in Sileſiam. Duxiſſe eos ſcribitur ex vicina Moravia quidam ſacrificus Moravus Brodicus, qui deinde Sileſiam graviſſime vexavit.

** Joannes II. Sævus dictus, ob tot tantaque tyrannidis ſpecimina, de quibus Curæus in Annalibus Part. II. Georgii Podiebradii fuit aſſecla, deinde bello Marchico involutus, quod Domum BRANDENBURGICAM auxilio MATHIÆ Regis à Ducatu Glogovienſi an. 1476. arceret: Bellum tandem an. 1481. Transactione finitum eſt.

*** Cum ſedato bello Auſtriaco Ducatum Glogovienſem MATHIAS filio notho Johanni Corvino vellet aſſerere, & alia ratione Johanni ejusque filiabus proſpicere, turbæ ingentes exortæ, quibus Glogovia obſeſſa & expugnata Corvino ceſſit an. 1489. ſed MATHIA mortuo hic à VLADISLAO REGE ejectus eſt. Vid. Curæum loc. c. qui bellum Glogovienſe fuſius edit.

juxta auxiliares ac hoſtes oberant. Hæc habui, quæ de SILESIA ſummatim referam: una ſupereſt urbs WRATISLAVIA, quam ſeorſum reliqua voluminis parte memorandam reſervavi, quam nunc domum ingrediemur.

Cum apud nationes non adeo remotas à nobis in colloquio, qualia ſolent inter familiares fieri, incidiſſet aliqua SILESIÆ noſtræ mentio, & ibi quidam negarent, ſe unquam ejus Regionis vel nomen audiſſe, non equidem potui æquo animo ferre, non ignobilem terram ſic etiam finitimis ignorari, ut ne nomen quidem ejus noſſent homines, non omnino à litteris abhorrentes; ſpopondi tamen ſtatim aliquid me ſcripturum, quantum mei vires ſuppeterent ingenii, unde notior fieret; id vero otii penuria hucusque ſum coactus differre: nunc igitur animo paulo tranquillior ea præſto, quæ pietas & amor patriæ magis, quam ulla eloquentiæ confidentia, ſuadet. Nomen ipſum terræ hujus (ut inde potiſſimum ordiamur) videri poteſt eſſe deductum, ſiquidem SILESIA vocaretur, à malo, quod SLE lingua Sarmatica dicitur, quæ eſt hic, ut in confinio Germaniæ permixta, vel quod perferoces, qui hanc terram primi inſedere, fuerint, quos malos quaſi perniciores ad injurgiam vocant, vel quod ager ſterilis eſſet, & nimis invidioſus, quem & ipſum malum & malignum appellant loquendi conſuetudine: doctiores, & quibus iſta ſciſcitari curæ eſt, putant, & SLESIAM quondam vocatam, & à flumine SILESO nomen eſſe ſortitam, non ita magno & undoſo, ſed qui limites POLONIÆ MINORIS non longe à Banſino in Bithum euntibus diſterminant; verum tamen ea quoque eſt opinio: nam Sarmaticum voca-

bulum, quo nunc illud appellatur, parum convenit, unde nunquam autem ſic vocata, neque enim certi quicquam intacta vetuſtate & litterarum ignoratione ſciri poteſt. Fine eam habere conſtat Ortum verſus minorem quam diximus POLONIAM, quæ Metropoli & Regia ſede Cracovia ſe jactat: Meridianam fere plagam jugum à BOEMIA montanum & continuum ambit, niſi quod ad brumalem Ortum, ubi montes intermittunt, MORAVIA, cujus urbs eſt Olomucium, & PANNONIÆ ſuperioris pars eam definit, illic definit in angulum, quem hinc MORAVIA inde POLONIA in cuneum cogit, qua iter eſt in PANNONIAM: Septentrionale latus ejus omne POLONIA major, in qua civitas POSNANIA præeminet, includit: Ad Occaſum partim MARCHIA, partim LUSATIA, cujus & Hexapolis pars eſt, protenditur. Certiores limites, quibus à finibus diſcernatur, non ſatis nobiles habet, præter ſilvas & montes; nam flumina nusquam perpetuo ſeparant, ideoque non paucis locis (haud) conſilii ſunt, maxime ſicubi extrema quædam oppida in finitimorum ditionem principum conceſſerunt, ut Sagana, Glocium, Crosna.

Terra in univerſum ferme plana, niſi ſicubi jugum à montibus Boëmicis, qui latus, ut diximus, auſtrale cingunt, porrigatur, unum, quod in mediterranea longius extenditur, MONTEM SEQUACEM ſua lingua vocant, cui & ejusdem nominis oppidum ſubjacet: Sequacem autem cognomen obtinuit, quod quocunque proficiſcentes proſequi videatur, alterum iterum minus, cui arx inſidet, Grotesburgum. Præter hæc perpetua tenet planities, ea fluminibus, quæ in Boëmicis fere montanis ſcatent, tota irrigatur, maximo omni-

omnium ODORA, quem credunt VIADRUM à Græcis Cosmopraphis nominari.

Is oritur in MORAVIA non longe ab Odera oppidulo, circuitisque montanis, qua POLONIAM verſus plana ſunt, SILESIAM mox etiam novus apprehendit, longius deinde placidus utique, ut in æquali & librato alveo devolutus, multas colligit ſed ignobiles aquas è montibus paſſim corrivatas, vadoſus tamen adhuc, & navium minime capax, dum partem SILESIÆ, quæ lingua utitur Polonica, perlabitur; poſt ubi RATIBORIUM, Crapicium & Oppolium reliquit, & BREGÆ propinquat, NISSAM ratium capacem fluvium recipit, augeſcitque non mediocribus incrementis; hinc Brigam, Olam, WRATISLAVIAM, Steinam, Glogoviam præterfluit; tum SILESIA egreſſum MARCHIA excipit, quæ præter Francofurdium & Stettinum in Oceanum Germanicum emittit. Grandis admodum & tumidus, ut inter fluvios GERMANIÆ maximos numeretur, & quamvis tantus ſit, devectionibus tamen ſaltem onerariarum navium intra SILESIÆ fines nusquam ſervit, & hoc propter moles & aggeres frequentes, quibus eum accolæ frumentacearum molarum cauſa inſtruxerunt, maxime WRATISLAVIENSES, qui in multos alveos intra ſuam urbem diviſum nusquam patiuntur otioſum defluere, afferentem eis miram lignorum copiam è ſylvis, per quas altiſſimas ubique labitur: ex his autem, quæ eo devehuntur, lignis, non ſunt illa tantum, quæ ignes alant ut crementicia, quamvis ea ſint plurima, ſed & variæ materiæ, plurimum quernæ, trabes & tigna, & ſublices, quibus machinæ, propugnacula, pontes, domus & tecta fiant, quibus ripæ fluminis,

fossæ quoque & portæ muniantur: nam & in crassas & fortissimas tabulas maximæ quæque trabes finduntur, aliisque multis usibus accomodantur, ut feratur hæc sola civitas sex millia nummorum aureorum in ligna quotannis impendere. Sunt alia præterea minora flumina, inter quæ NISSA à montibus præter Glocium & ejusdem nominis insigne oppidum defluens, Odera non longe à Surgesto recipitur: BOBERUS quoque, locoque longe diverso, ab eisdem tamen ortus, montibus Leonopolin Boleslaviamque præterlapsus, & ipse in Oderam prope Crosnam exoneratur. Hi nisi pontibus non transeuntur: minor his RIVUS CATTORUM, sed torrentior, qua Lignitium abluit, segnior quam vocant Suidniciam aquam, verum nimio incremento inundans, etiam Weida, quæ per humillimas quasque planicies, profundus tamen & minime vadosus serpit; OLA vero & ipse piger ab oppido ejusdem nominis WRATISLAVIAM deductus, fit utilissimus urbi, molas aliquot rotat, & recepta parte Oderæ veterem urbem circuitu suo claudit, ubi & multis pontibus est pervius, & altis ripis egregie munitus, ne possèt inundans ædificia percursare. Est & LOHA fluvius incrementi satis justi prope WRATISLAVIAM. Habet & amœnissimos & piscosos amnes hæc terra, ut eum, qui præter Suidniciam fluit, & qui Lignitium intersecat, item qui NISSAM duplici rivo permanat, quique limitem Lusatium discriminat, QUISSUM nomine, plurimos & in Polonica Silesia sed nobiles: Habet etiam lacus, sed raros, ut eum, qui ad SUIBESUM est, etiam quem in monte Gigantum ajunt fundo carere, nec minora lacubus vivaria & ea quidem multa, piscinas etiam amplissimas ac passim (per) totam provinciam magno labore non sine arvorum

rum damno effossas, quæ terram reddunt piscium divitem, proventusque prædiorum faciunt uberiores. Cæterum ager omnis frugum ferax, nec minus leguminis, cujus omne genus abunde producit. Vitis adhuc impatiens, aut ficubi nutrit acerbum succum germinat, præterquam ad Crosnam, unde vina, quibusdam peregrinis non cedentia, in proximas etiam regiones avehuntur. Sed non absunt prata pascendis idonea pecoribus, ut magna parte (pro) indigentia carne sint homines contenti: Arbores hortenses fructuum magnam copiam ferunt, ut subinde alius alii, novus veteri tanquam recidivus per totam æstatem totumque autumnum succedat; silvestres, quæ fere quercus sunt, ad Odoram natæ (quod genus arboris flumen ubique gignit) glandem suibus abunde ministrant, & copiam ligni plurifariam, afferunt & latissimam pinguemque venationem amplissimæ sylvæ, unde capri, cervi, damæ, lepores atque id genus feræ, ursi quoque, sed ex montanis sæpius, è quibus & volucrum autumni præsertim tempestate, perdicum maxime, turdorum & cothurnicum ingens numerus: Panis è tritico fit ut non alter, sic neque candidissimus, nisi quem è similagine purgata in molis à furfure aliquanto teneriorem conficiunt: potu decocto utuntur civitates, quædam ex tritico, quædam ex hordeo, nonnullæ ex utroque, ita ut certam lupuli mensuram, certam aquæ misceant, adeo non sine arte, ut inveniantur ejus decoctionis artem professi, quibus pretio locatur facienda. In majoribus urbibus WRATISLAVIÆ potissimum vinum habent adventicium ex Hungaria, AUSTRIA, Moravia, ex his pretiosius ab Italia usque petitum, nonnullum & à Rheno, quod caupones vendunt; habent & quam aliunde advehunt, & publice vendunt

cereviſiam, ſic potum vocant coctum, quo non minus quam vino plebs urbana ſimiliter & ruſtica inebriatur.

Terra in univerſum longior eſt quam latior, à fine LUSATIO ad minorem POLONIÆ limitem * quadraginta prope magna colliguntur milliaria, (quæ idcirco magna voco, quod unumquodque quatuor Italica complectitur) ſi vero velles in Teſſinenſem angulum flectere, reperire quinquaginta & eo amplius poteris. Latitudo vero BOEMICIS montibus, quos meridionale latus omne prætexere meminimus, ad majoris POLONIÆ fines ferme dimidium ſpatii ſuperioris obtinet. Duæ nationes ut moribus ita loco ſeparatæ hunc inhabitant, cultiorem, quæ ad occaſum & meridiem ſpectat, Alemanni, ſylveſtriorem & incultam malignamque ad ortum & ſeptentrionem ** POLONI tenent; has Odera dividit certiſſimo ab Niſſa flumine recepto limite, ut etiam civitates, quæ citra ſunt, Teutona, quæ ultra, Polona frequentius utantur lingua: Videas maximam utriusque populi differentiam, ut hi *** agreſtes, rudes, nullius induſtriæ, nullius ingenii, habeant in pagis ac vicis tuguria luto lignoque ſine arte compacta, raras mœnibus incinctas urbes; noſtri contra, tanquam ab occaſu ſerperet humanitas, cultiores vita, moribus induſtrii, perniciores ingenio, munitas habent urbes, ædificia plurimum coctili laterculo ſtructa, commerciorum peritiores & mercaturæ gnari, qua civitates ſuas ſimiliter auxerunt, ſimiliter ornaverunt.

Gen-

* Quæ communis & aliorum ſententia eſt: vid. Sileſiogr. Renovat. cap. II. §. 4. in notis.
** Sileſii puto, qui Polona fantur lingua.
*** Noſtra vero tempeſtate nec his cultus deeſt.

Gentem ergo noſtram, quam diximus, uti Teutona, quæ hujus terræ dimidium tenent, advenam credimus, & hujus partis occupatorem, vel quæ paulatim huc confluxerit, vel quæ lucrum de finitimorum commerciis ſecuta ſit, unde pretioſæ pelles, bovum, eorundemque pecorum, ceræ, mellis, ſevi, plumbi vis ingens, hac re plures indies allecti ſedes hic poſitas excoluerunt: Invitantibus etiam principibus, qui vel WRATISLAVIÆ vel LIGNITII Regiam habentes POLONIÆ late imperarunt. Et Polonos autem totam olim SILESIAM habuiſſe præter argumentum linguæ, quæ adhuc bonam ejus partem obtinet, oſtendunt principes, quos inſcriptiones conditorum ab eis templorum Polonos fuiſſe produnt, indicant finitimæ nationes, BOEMI, SARMATÆ, LUSACII, quæ omnes in Vandalicum idioma conſonant, declarant oppidorum vetera nomina, quorum BREGAM quaſi ad ripam ſuo vocabulo, Strigoviam quaſi Stregoriam à tribus proximis oppido collibus dixerunt: ſic JAURUM, ſic alia plura, hinc & VRATISLAO & BOLESLAO Vandalicis nominibus vocatæ urbes extant. Vandalicam linguam hic eam appello, quam & Slavonicam dicunt, communem BOEMIS, Slavis & POLONIS, aliisque remotioribus Scythis, quanquam BOEMI malint Sclavorum, POLONI Vandalorum origine gloriari. Certum quidem, illos à Slavis Illyricis oriundos in GERMANIAM advenas acceſſiſſe, hos autem Sarmatiam tenentes (an ſemper habuerint incertum) in POLONORUM nomen à planitie terræ, quam poſſident, tranſiſſe: ſed & iſtud dubitatur, num quandoque GERMANI priores hic habuerint, expulſique paulatim redierint, argumento quod ad Oderam & ultra Ptolemæus GERMANIAM extendit, etiam quod

POLONI OLIM POSSESSORES:

quod plerique MARCOMANNOS eos fuiſſe, qui hodie MORAVI dicuntur, putant, juxtaque QUADOS addunt Hiſtorici. Nec alia MORAVIS ad Boream junctior natio ſaltem Germanica quam SILESITANA: Noſtros eam ob rem † QUADOS dicere placuit, quibuscum fuit M. ANTONINO ROMANO IMPERATORI Transdanubianum bellum, niſi quis Marſignos & Burios potius exiſtimet, quos ſcribit Tacitus Marcomannorum & Quadorum terga clauſiſſe, & Suevos cultu ſermoneque retuliſſe: neque enim credo Gothinos & Oſos degenerem gentem, ut quæ peregrina lingua vel gallica vel pannona uſa eſt, fuiſſe, cum ab his utrisque & abſit longiſſime & tributum paſſa ſit nunquam, ſed late finitimis imperaverit, cum ſub DUCIBUS bonam POLONIÆ partem tenuit.

QUI NAM ANTIQUITUS:

DUCES: DUCES autem qui fuerint, vel quo profuerint Ordine, tametſi foret utile memoratu, tamen à propoſito, quo tendimus, fine noſtram narrationem nimis abduceret, unum & alterum nominaſſe à re noſtra non erit alienum: *CONRADUM, cujus opus eſt oppidum BREGA, magnificum ſimiliter ac prudentiſſimum principem, **HENRICUM item BARBATUM, qui Poloniam bello quatiens ad Rutheniam usque penetravit ſtrenuum juxta ac religioſum, S. HEDWIGIS, quæ in divos eſt relata, maritum, cujus filius adoleſcens impiger & fortis ſub IRRUPTIONE TARTARICA prœlio occubuit. Fuit autem ***Tartarorum gens

IRRUPTIO TARTARICA:

† De Quadis, & Buriis in Regno Vanniano Cap. I. & II. egimus.

* Vladislai II. Fil. Boleslai Alti fratrem an. 1179. ſine prole defunctum.

** Vid. Sect. I. Cap. 5. Lemmat. Hiſt.

*** Cauſam irruptionis ex vita S. Hedwigis MSta Pohlius in Annal. MStis ad an. 1240. hanc fuiſſe prodit: Tartarorum Regis conjugem, cum peregrinas terras Marito concedente inviſeret, ſpe

gens Scythica ab extremis aquilonis finibus progreſſa, quæ Hoccota REGE Caucaſias Pilas, quibus fuerat antea ſecluſa, perrupit, lateque deinde ſub tribus Ducibus multas Aſiæ regiones Europæque inundavit, quorum † Bathus in ſeptentrionem cum exercitu flexit, Boniathaque Turcorum Rege victo per Jaſides UNGARIAM & POLONIAM invaſit. Ab Ungaria Rex depulſus in Moraviam fugit, regnum cæde hominum pene exhauſtum, cum neque ſylvæ nec arces quenquam tegere poſſent, usque adeo cunctis partim vi partim fraude ſubactis. Sed & per Poloniam impune graſſatus Tartarus in SILESIAM deſcendit, ubi multorum vicinorum principum aggregatis armis SILESITANUS DUX hoſti fit obviam, vincitur tamen barbarorum impetu, qui cuncta more torrentis involvit; cæſus ibi eſt & †† Marianorum militum Magiſter, qui ex Pruſſia ſubſidio venerat. DUCIS caput abſciſſum lanceæ præfixum circum LIGNICIAM arcem portatum eſt, ut vel deſperationem deditionemque timidis vel dolorem conſtantibus exprimeret. Neque tamen id adeo magno dolori matri HEDWIGI adhuc ſuperſtiti fuit, ut quæ olim hoc futurum, filiumque pro fide moriturum cognoverat. Tumulus ejus & Magiſtri Ordinis Marianorum in æde Minoritana S. Jacobi,

Cc quam

ſpe prædæ ad Novum Forum, quarto ab urbe noſtra lapide, interfectam fuiſſe, quod cum virgines quædam ex ipſius comitibus domum aufugientes Regi cædem nunciaſſent, illum vindictam ſumſiſſe. Sed quod ita fabulam redoleat, hoc tamen verum habet, Tartaris ex Sileſia recedentibus unam ex primoribus fœminis vel Batti vel Petæ uxorem occiſam fuiſſe, cujus ſpolia avorum noſtrorum memoria Neoforum oſtentabat. Adde Schulzium in monumento gratitudinis HENRICO II. PIO erecto.

† Quem Battum alias vocant: Vid. Dubravium XVI. Hiſt. Bohem. & Bonfinium. Ipſum in Sileſiam non deſcendiſſe, ſed Petam miſiſſe, egregie Schulzius l. c. commonſtrat.

†† Erravit hic Stenus noſter cum aliis, qui inſcriptione recentiori, quæ ad Henrici Pii tumulum in æde S. Vincentii extat, decepti, Popponem ab Oſterna prœlio hoc interfuiſſe & occiſum tradunt, obſtante temporum ordine, qui magiſtrum hunc an. 1253. electum, & an. 1265. diem ſuum obiiſſe docet. Adde Miſcellanea Gentis Schaffgotſch p. 103.

quam ipſe exſtruxerat, VRATISLAVIÆ viſitur. Gentis impetus, quanquam creditur ab indigenis hoc non incruento prœlio, & oppreſſa in NOVO FORO cum comitatu ſuo Bathi Ducis uxore, retardatus aliquantulum, non tamen omnino quievit, donec in AUSTRIA in trajectu fluminis Dravæ aut (quod magis credo) Danubii, vorticibus aquarum Bathus abſorptus eſt, exercitusque retro ad Euxini littora rediit, unde hodie quoque Rhuteniam, Poloniamque & Lithuaniam infeſtat.

Cæterum SILESIA poſt eam cladem & DUCIS interitum cœpit paulatim per partes pluribus occupari * Principibus, atque ita PRINCIPATUS, quos & DUCATUS vocant, multi facti ſunt, donec non indigenæ tantum, verum etiam advenæ, creſcerent Principes, omniaque diſtraherentur, quæ prius unum fuiſſent, maxime poſteaquam REGNO BOEMIÆ acceſſit. Tradita vero aliquando, antequam REGNUM BOEMIÆ fieret, DUCI ejus ** BISITISLAO victo in conditiones fœderis ab Imperatore HENRICO ejus nominis altero, quo tributum inde auri XXX. argenti CL. Marchas penderet, anno ab nato CHRISTO triceſimo ſupra milleſimum: Poſt annos demum quinquaginta ſex in proprium jus ſine tributo conceſſa eſt ab Imperatore *** HENRICO IV. VRATISLAO PRI-

* Etenim inter HENRICI II. occiſi tres filios: Henricum III. Boleslaum Calvum & Conradum. H. Sileſia inferior fuit diviſa: vide tabulam Genealogic. Ducum Vratislav. in appendice.

** Hæc ex Æneæ Sylvii Hiſt. Bohem. cap. 19. ſed non an. 1030. verum an. 1038. accidit.

*** Hæc, quæ Cosmæ Pragenſis autoritate affirmantur, in dubium vocat Celeberr. Schurzfleiſchius de Matchia Miſtenſi §. 3. in notis. Quædam addere libet: Repugnabat id prudentiæ Henrici IV. cui vel auctore ipſo Monacho Pegavienſi poteritia Vratislai ſuſpecta erat, præſertim eo tempore, quo Germania ob Hermanni electionem in turbido ſtatu verſabatur. Aſſerunt vero noſtra ætate ex autoribus aliis fide dignis, Henricum IV. omnino Vratislao Dignitatem Regiam, non hæreditariam ſed perſonalem conceſſiſſe Excell. Ludovici in tractatu de Auſpicio Regum p. 66.

PRIMO REGI BOEMIÆ ab eodem in Moguntiaco Conventu coronato, & quem TREVIRORUM ARCHIEPISCOPUS GILBERTUS etiam PRAGÆ inunxit, Regalibusque adornavit inſignibus, Pragenſis Eccleſiæ magnificum fundatorem. Qui poſt hunc fuere, SILESIÆ quidem Jus, ſed non itidem Regium titulum uſurparunt, perinde quaſi non provinciæ ſed perſonæ datus eſſet, quoad usque primus ex Sueva Gente * FRIDERICUS IMPERATOR quaſi denuo BOEMIAM in Regni formam redegit, ob egregiam operam VLADISLAI in bello adverſus Polonos navatam, quam LABESLAUM Liguricius, ejus temporis & rerum geſtarum FRIDERICI ſcriptor, appellat, ubi ait de Ratisbonenſi Conventu, hoc quoque Conventu procerum Dux ille Boëmus fama Labeslaum quem nominat ob ſua geſta fortiter & bello nuper ſpectata Polono, ex DUCE REX fieri meruit, geſſitque potenti ſceptra manu, cinxitque novo diademate crines: protinus ad patria veſtigia Rex novus urbes rettulit Italico partas ſua robora bello. Meruit enim ex Italica expeditione & Mediolani expugnatione, cum Imperatore fortiter obita, non ſolum Coronam & ſceptrum, Regni inſignia, rubeumque leonem bifurcatæ caudæ in albi coloris clypeo, ſed, ut latiores etiam fines & Regno dignos poſſideret, juſſit præ-

p. 66. & ſeqq. adde Mart. Hankium de Rebus Sileſiorum cap. IX. §. 10. 11. 12. Sileſiam vero Imperator Regi certe non ut jam ſuam (cum Cromero lib. V. de Polon. Rebus in Vladislao I. teſte, uterque tum in omni Polonia ne tantillum quidem haberet, quantum pedis veſtigio calcare poſſet) ſed ut occupandam addidit.

* Radevicus de geſtis Friderici I. lib. I. c. 13. ad an. 1158. In eadem Curia (Ratisbonenſi) Dux Boëmorum Labezlaus, vir ingenio validus, viribus præpollens, conſilio, manu, audaciaque magnus, cujus antehac induſtriæ, obſequii multa præceſſerant experimenta, adeo ut ob merita ſua omnibus charus eſſet, ab Imperatore & Imperii Primis ex Duce Rex creatur. An. 1158. ſuſcepto itaque privilegio de uſu diadematis aliisque regni inſignibus lætus revertitur, & ad Italicam expeditionem Rex pariter cum Imperatore faſtu Regali profecturus accingitur.

ter † SILESIAM, LUSATIAM quoque cum Hexapoli & Marchionatu MORAVIÆ novo REGI parere: quæ regiones, ex quo CHRISTI fidem ſuſceperant, Imperatori †† feuda fuere: Ex his vero omnium noviſſimi SILESITÆ ante annos ferme ††† ducentos, Imperatore OTHONE I. Adalberti Pragenſis Archi-Epiſcopi, ipſius OTHONIS cognati, ſuaſu prædicationeque erroribus exemti veram fidem receperunt una cum Polonis, cum etiam Ungari converſi ſunt, ejus doctrina & miraculis moti, cum Rex eorum * STEPHANUS prior fidem CHRISTI amplexatus eſſet: Profecit tum recepta mirum in modum SILESIA, ut ex agreſti, rudi, barbara, & inculta fieret urbana, mitis, humana, cultior, & circa divina pietate multo ferventiſſima. Itaque pluribus, quæ pene in annos † naſce***

† Autoris ſententiæ de Sileſia, Vladislao ſ. Wratislao Bohemorum Regi tunc addita, anſam præbuiſſe videtur Boleslai I. Ducis Vratislavienſis & Fratrum, autoritate ejusdem FRIDERICI in ditiones paternas, quanquam non omnes, facta reſtitutio, ſed Bohemiæ nondum in Sileſiam jus fuit, usque ad an. 1327.

†† Ducatum Vratislavienſem an. 1290. RUDOLPHUS I. Imperii feudum appellavit.

††† Ita MStum habet, ſed errorem eſſe, & plura ſane ab an. 965. ad an. 1508. intercedere Sæcula, facile liquet.

* De Stephano hoc vid. Adrian. Regenvolſcii Hiſt. Eccl. Slavonicar. Provinc. lib. I. cap. 2.

† Hic de Epiſcopatu aut Eccleſia opinor Stenum pauca quædam addidiſſe.

* *

Addenda.

*

Lem. Hiſt. Sect. I. cap. 3. §. 2. litt. g. in notis: poſt vocem: die Burck. hæc omiſſa ſunt: Sed ex alio Anonymi MSto Sileſiæ Chronico nuper cognovi, Caſimirum Arcem quidem Regiam in Inſula S. Joannis extruxiſſe, eam quam Tatari oppugnabant, cujus adhuc veſtigia ſuperſunt, ſed non iſtam, quæ nunc Cæſarea audit, Patrum S. I. poſſeſſio eſt, & die Burck vocatur; hæc enim Caroli IV. opus fertur.

Lem. Hiſt. Sect. II. §. 3. litt. a in notis lege: ex Anna Henrici ultimi Ducis Javorienſis & Suidnicenſis filia natus.

(o)

APPEN-

APPENDIX DOCUMENTORUM QUORUNDAM: ET RERUM VRATISLAVIENSIUM EX ROSITZIO.

APPENDIX
DOCUMENTORUM
QUORUNDAM:
ET
RERUM VRATISLAVIENSIUM
EX NOSTRIO.

Ad. pag. 208

I. GENEALOGIA DUCUM VRATISLAVIENSIUM.

BOLESLAUS III. POLONIÆ REX † 1139.

VLADISLAUS II. SILESIÆ DUX an. 1159. in exilio defunctus: conjux: ADELHEIDIS Imp. HENRICI IV. filia.

BOLESLAUS IV. MIECISLAUS III. HENRICUS. CASIMIRUS. II.

BOLESLAUS I. Altus: DUX SILESIÆ INF. & VRATISLAVIENSIS. † an. 1201. hæres fratris CONRADI I. conjux, 1. WENCESLAVA ex Masoviæ. 2. ADELHEIDIS Sulzbacensis.

CONRADUS I. Lascogonus. DUX SILESIÆ INFER. ἄπαις obiit an. 1179.

MIECISLAUS I. DUX. SILESIÆ SUPERIORIS.

(1) JAROSLAUS EPISCOPUS VRATISLAVIENSIS † an. 1201. d. 22. Jan.

BOLESLAUS ante patrem obiit.

Alga virgo obiit.

(2) HENRICUS I. DUX VRATISL. & INF. SILESIÆ † an. 1238. conjux S. HEDWIGIS Meraniæ Ducis filia.

Conradus & Joannes in adolescentia defuncti.

ADELHEIDIS. nupsit DTPOLDO MARCHIONI MERANIÆ.

BOLESLAUS.

HENRICUS II. PIUS. DUX SILES. INF. & VRATISLAVIENSIS occisus in prœlio à Tartaris an. 1241. conjux ANNA Ottocari Bohem. REGIS filia.

CONRADUS CRISPUS in venatione ex equo lapsus interiit an. 1213.

Gertrudis Abbatissa Monast. Trebnicensis.

Sophia & Agnes Sanctimoniales.

HENRICUS III. DUX SILES. INF. & VRATISL. † an. 1266. conjux 1. JUDITHA ex Masovia. 2. AGNES septemviri Saxonici ALBERTI I. filia.

BOLESLAUS CALVUS DUX LIGNICENSIS. conjux 1. HEDWIGIS Henrici Anhaltini. 2. ADELHEIDIS Semborii DUCIS Pomeraniæ filia.

VLADISLAUS Archi-Episcopus Salisburiensis † 1270.

CONRADUS I. DUX GLOGOVIENSIS. obiit. an. 1298.

Elisabetha conjux Ducis Premislai Poloniensis.

Gertrudis conjux Ziemoviti Ducis Masoviæ.

Constantia nupsit Casimiro Duci Cujaviæ.

HENRICUS IV. DUX SILES. INF. & VRATISL. cogn. PROBUS. ἄπαις obiit an. 1290.

Hedwigis.

HENRICUS V. & III. LIGNIC. DUX SILES. INF. & VRATISL. ex mœrore obiit an. 1296. conjux ELISABETHA Ducis Kalissensis filia.

BOLESLAUS III. DUX SUIDNICENS. conjux BEATRIX Ottonis Longi March. BRANDENBURG. filia.

HENRICUS VI. DUX VRATISLAVIENSIS ultimus ex PIASTEA GENTE. sine prole mascula defunctus an. 1335. conjux ANNA ALBERTI I. IMPER. filia: vidua Hermanni II. March. Brandenb.

BOLESLAUS III. DUX BREGENSIS.

VLADISLAUS DUX LIGNICENSIS.

ANNA nupsit OTTONI BRANDENB.

EUPHEMIA — BOLESLAO DUCI FALCKENBURGENSI.

ELISABETHA — CONRADO I. DUCI OLSNENSI.

MARGARITHA Abbatissa ad S. Claram.

II. DIPLOMA, quo JOANNES LUCENBURGENSIS,
BOEMIÆ REX,
DUCATUM WRATISLAVIENSEM REGNO BOEMIÆ
illatum esse confitetur.

IN nomine Domini Amen. Fidelitatis nostræ dextram merito iis liberalius impertimur, in quibus fidei caritatisque sinceritas per amplius requiritur: Ex eo nos Johannes Dei gratia Boëmie & Polonie Rex, Comesque Lucenburgen ad memoriam sincera pietate revocata, quam nobis Illustris Princeps Dominus Henricus Dux Slesie & Dominus Vratisl. præ cæteris amicis suis exhibuit, propter favorem & fiduciam quam ad nos toto corde gessit, & adhuc gerit, adeo quod totam Terram suam Vratisl. eo Jure sicut eam ipse habuit & possedit ad manus nostras, virium compos suarum, voluntarie resignavit, ob commune terræ suæ commodum & honorem, discretis & constantis fidei viris nobis quam plurimum dilectis feudalibus, consulibus, juratis Scabinis Vratisl. ac aliarum civitatum ejusdemque terræ totius Incolis universis, bona fide omnique sine dolo per præsentes damus, promittimus publice & spondemus, quod idem ingenuus Princeps amicus noster dilectus D. Henricus Dux Slesie & D. Vratislav. cui ex debito eandem tenemur fidem quam nobis, debet esse totius vitæ suæ temporibus & permanere civitatis Vratislav. aliarumque civitatum, castrorum, oppidorum, villarum, vasallorum, atque totius Terræ Vratisl. verus cum plena potestate Dominus & non alter, videlicet cum Titulo, Autoritate, dignitate, utilitatibus, proventibus, perceptionibus, exactionibus, pertinentiis, feudo, Judiciis, jure patronatus suorum

rum omnium beneficiorum eccleſiaſticorum & generaliter cum omni Dominio & Jure nullo penitus excluſo quibus hucusque uſus eſt, veluti ex paterna ſucceſſione prædictam ſuam terram poſt diviſionem cum Fratribus ſuis Magnificis Principibus Ducibus Sleſie, Boleslao Brigenſi & Vladislao Legnicenſi Dominis habitam tenuit annis pluribus & adhuc tenet, ſolo homagio per prædictos cives ac fideles ſuos Vratisl. feudales nobis hæredibus ac ſucceſſoribus noſtris Boemie Regibus ſemper reſervato: ita quod nullum debeant habere Dominum verum, quam diu vixerit eundem fide firma adjicientes certo & voluntario ex promiſſo, quodſi tempore ſuccedente D. Henricus Dux per nos & hæredes noſtros vel per quoscunque legitimos ſucceſſores noſtros Bohemie Reges quod abſit ex quocunque propoſito & occaſione à Terra ejus Vratisl. ejus juribus & dominio, prædictis quibuscunque cenſeantur nominibus attentatus fuerit, alienari, transponi, aut quocunque modo ab ea transmutari, etiamſi de hoc noſtras, hæredum noſtrorum, & ſucceſſorum noſtrorum Regum Bohemie receperint litteras ſpeciales, ex nunc prout ex tunc libera electione ſæpe dictis feudalibus civibus ac aliis prædictæ terræ Vratisl. incolis præcipimus firmiter & mandamus, quod hujusmodi mandatum, quemadmodum eorum fidei bene convenit, & honori reputare debeant irritum & inane. Etiamſi quodcunque feudum ſuo tempore vacare contigerit, illud à nobis debet ſuſcipi, ſed idem D. Dux Henricus præfatus debet habere conferendi ipſum plenariam poteſtatem. Inſuper ſi aliquas noſtris cum inimicis guerras inierimus, tunc omnes munitiones prædictæ nobis tunc debent & omni tempore aperiri, ſic tamen quod dictarum munitionum dictus Dominus Henricus quietus maneat poſſeſſor vitæ ſuæ temporibus ſicut prius. Ut igitur per nos hæredes noſtros atque noſtros ſucceſſores legitimos Reges Bohemie

hemie omnia præmiſſa quæliber poſtergata contradictione in violabiliter obſerventur, & ne ex aliqua occaſione publice vel occulte quoquo modo contrarium attentetur, præſentes dedimus litteras noſtro majore munimine conſignatas. Actum Vratisl. præſentibus ſpectabilibus & nobilibus viris fidelibus noſtris dilectis Gotfrido de Limmingen & Georgio Greſuto comitibus: Hincone Becca de Duba, Burggravio Pragen: Henrico de Lypa juvene: Ottone de Berca: Benisſio de Vartenberg: Heinemanno de Duba dicto de Narhord: Henrico de Lichtenberg: Arnolfo de Bittingen & Henrico Bavaro de Bopardia & aliis quam pluribus fide dignis. Anno Domini 1327. proxima feria poſt diem palmarum.

III. Transactione Trencinenſi an. 1335. ex voto confecta, omne quicquid ea continetur * præſentibus litteris ratum habet CASIMIRUS.

CASIMIRUS DEI gratia Rex Poloniæ &c. &c. &c. &c. univerſis præſentes litteras inſpecturis ſalutem & notitiam ſubſcriptorum. Salus, Vita, & perennis Tranquillitas, benedictio pacis irradiata claris fulgoribus per Orbis

* Damus has ex Balbino Litteras, quas Lubienſcius Eccleſiæ Plocenſis Antiſtes in dubium quidem vocare auſus eſt, inde tamen hoc, ſi adeſſent, monuit, ſine Procerum Regni conſenſu CASIMIRUM eas edere haud potuiſſe: aliud tamen Transactio Trencinenſis docet, cui tot Palatini ad hoc negotium ablegati ſubſcripſerant, de quibus non ſine omnium culpa affirmandum eſſet, eos de conſenſu reliquorum haud fuiſſe certiores: Neque ſi quid contra Transactionem hanc armis Polonorum tum peccatum & Sileſiæ demtum eſt, uti de urbibus quibusdam conſtat, id omnem Transactionem dirimit: præterea Duces noſtræ provinciæ, ſui ſemper Juris, nunquam Vaſallos Regni Poloniæ fuiſſe id arguit, quod ſe hæredes Poloniæ dixerint: quis vero Holſatiæ Duces, dum ſe Norwagiæ hæredes ſcribunt, Danici Regni Vaſallos vocabit? Plura qui meæ ſententiæ argumenta cupit Clar. Schurzfleiſch. Diſput. Hiſtor.

clarius refulget Climata, dum Regnorum ſubditis & Terrarum Incolis providetur de commodis & inter principes deſiderata gratiæ unio, ac indiſſolubilis charitatis fœdera gratioſius amplexantur, cum ita, ſicuti ſtatus præcedentium temporum demonſtrat, inter Magnificos Principes, Dominos JOANNEM Boëmiæ Regem & CAROLUM ipſius primogenitum Marchionem Moraviæ Illuſtres, fratres noſtros chariſſimos ac progenitores & prædeceſſores ipſorum parte ex una, nosque ac progenitores noſtros parte ex altera nonnullæ ſeductiones, affictiones & multiplices calamitates, cædesque perſonarum ac rerum hinc inde per tempora agitata noſcuntur, ac damna perpetrata, propter quæ & Regnorum & terrarum gubernacula utrobique gravia pertulere diſpendia, & jacturas innumeras quotidie habuerunt: nosque his tot & tantis cupientes ſalutifere obviare periculis & eis finem imponere ſalutarem affectantes, attentis affectibus cum jam dictis Dominis Rege & Marchione firmam ac perpetuam amicitiæ gratiam, ac fraternæ dilectionis vinculum irrefragabiliter colligare, in hoc votis eorum & noſtris ſatisfacientes libenti animo recognoſcimus, dicimus & publice proteſtamur nos in Magnificis Principibus, Dominis Ducibus Boleslao Legnicenſi & Bregenſi, Henrico Saganenſi & Crosnenſi, Conrado Olsnicenſi, Joanne Stinavienſi Sileſiæ Ducibus: nec non Bolkone Oppolienſi, Bolkone de Falckenberg, Alberto de Streliz, Wladislao Teſchinenſi Ducibus, Wladislao Cozlenſi & Butenſi Principe Maſoviæ Domino in Plotzk, Leskon, Ratiboris, & Joanne Osvicienſi Ducibus, & Vaſallis eorum cum ipſorum Ducatibus & Dominiis, terris, diſtri-

Hiſtor. XIX. §. 23. legat relegatque. Id tamen confitendum, nunc opus haud eſſe Sileſiæ, quin litteris his ſeſe defendat, cum Compactata ipſam inter & Poloniam an. 1677. edita extent, (de quibus ſub LEOPOLDO M. egimus) quæ perpetuam inter utramque Pacem conſtituunt.

ſtrictibus, jurisdictionibus, pertinentiis, metis, appendiis, limitibus antiquis quibuscunque nec non civitatibus WRATISLAVIA & Glogovia cum diſtrictibus, limitibus, affinibus, & pertinentiis earum univerſis, nullum Jus, proprietatem vel dominium, poſſeſſionem aut titulum habere aut habuiſſe, competere vel competiiſſe aliqua in eisdem, promittentes ipſos Dominos Regem & Marchionem, aut hæredes, cohæredes vel ſucceſſores eorum ſuper prænominatis Ducibus & Ducatibus eorum ſeu etiam civitatibus WRATISLAVIENSI & Glogovienſi cum pertinentiis ſuis, per nos vel hæredes, cohæredes & ſucceſſores noſtros, aut alios quoscunque nullo unquam tempore impedire, moleſtare, vel impetere, nec Duces ac Ducatus ipſos, & ipſorum pertinentias, nobis aut hæredibus noſtris vendicabimus, aut etiam aſſumemus in ipſorum Regis, Marchionis vel hæredum eorum præjudicium vel gravamen: quinimo placet nobis, & optime favemus eis, in eosdem renunciantes inſuper & cedentes pro nobis & hæredibus, cohæredibus & ſucceſſoribus noſtris omni juri, actioni, quæſtioni, proprietati & titulo in perpetuum, ſi quæ nobis aut hæredibus vel ſucceſſoribus noſtris competebant, competerent vel competere poſſent, quomodo libent in futurum: promittentes etiam ſub fide præſtiti juramenti, tactis ſacroſanctis Evangeliis, & nihilominus ſub pœna excommunicationis prolatæ ſententiæ, contra hanc noſtram renunciationem, ceſſionem & promiſſionem, aliqua actione, impetitione, ſuggeſtione, ſtudio, ingenio, jure, facto atque verbo nequaquam venire, non obſtantibus aliquibus pactis, pactionibus, ſtatutis, reformationibus, ordinationibus, conſuetudinibus, præſcriptionibus, conventionibus, munimentis, indulgentiis, privilegiis vel litteris Apoſtolicis, Imperialibus, vel aliis quibuscunque ſcripturis impetratis ſeu impetrandis in poſterum: nec non Ju-

ribus quibuscunque tam Juris Canonici quam Civilis, aut etiam Municipalis ſub quacunque forma verborum & prolatione conceptis vel in poſterum concipiendis: Et etiamſi talia forent, in quibus de verbo ad verbum ſpecialem & expreſſam oporteret fieri mentionem. Quæ omnia & ſingula & quodlibet eorum caſſa & irrita, vacua, inania eſſe & intelligi volumus, nulliusque fore efficaciæ penitus & momenti: ipſis etiam ex certa noſtra ſententia per omnia derogamus, in quorum Teſtimonium omnium atque robur perpetuum præſentes ſcribi fecimus, & noſtrorum ſigillorum munimine roborari. Datum Cracoviæ in octava purificationis B. Mariæ virginis, Anno Domini 1339.

IV. EXCERPTA QUÆDAM RERUM VRATISLAVIENSIUM, ex *ROSITZII CHRONIC. ET NUMERO EPISCOP. VRATISLAVIENSIUM MSto.

*

Incipiunt geſta:

Maritus S. Hedwigis in Sileſia.

An. D. (a) 1237. ⊖ Dux Henricus cum barba Maritus S. Hedwigis, Dux Legnicz. ſepultus in Trebniz.

(a) Obſtant Dlugoſſus, Michovius aliique, qui eum an. 1238. d. 19. Martii Crosnæ diem ſuum obiiſſe teſtantur.

Filius S. Hedwigis.

An. Dn. (b) 1247. Dux Henricus Filius S. Hedwigis occiſus fuit à Tataris in Wohlſtatt prope Legniz.

(b) Prœlium an. 1241. geſtum eſt.

Hen-

* Sigismundum Roſizium, obſcuri alias nominis ſcriptorem, in lucem primus Clar. RUNGIUS Gymnaſii Magdalenæi Profeſſor revocavit, & de Opere ejus Specim. II. Miſcell. litter. de quibusdam ineditis Hiſtor. Sileſiacæ Scriptor. no. I. diſſeruit; hinc cum Res WRATISLAVIÆ Sæc. XV. geſtas curatius edat, & memoratu digna habeat Autor, placuit excerpta quædam A. L. offerre, quæ Turbines Tempeſtatesque ſub Georgio PODEBRADIO exortas deſcribant, & fata illius Sæculi coævo Teſtimonio illuſtrent. Deſinit Chronic. an. 1470.

Henricus III.

An. (c) 1267. Obiit Henricus III. Dux Sileſiæ.

(c) Dlugoſſus aliique an. 1266. ponunt.

Henricus Dux Largus.

An. Dn. 1290. in Vigilia Johannis Baptiſt. ⊖ Dux Henricus (d) Largus.

(d) Aliis Probus.

Henricus Dux & Dominus Wratislavienſis.

An. Dn. (d) 1292. captus fuit Dux Henricus Dominus Wratisl. in Stoba Balnei per Ducem Glogovienſem.

(d) Dlugoſſus hoc ad an. 1293. refert.

Henricus ultimus.

An. Dn. 1335. ⊖ Henricus Dux ultimus Dominus Wratislavienſis.

Carolus Rex venit Wratislaviam.

An. Dn. 1348. Dux Carolus Romanorum Rex intravit Wratislaviam, & fuit honorifice ſuſceptus per Epiſcopum Wratislavienſem.

Turbæ VVratislavienſes:

An. Dn. 1406. in Profeſto Exaltationis S. Crucis Communitas Civitatis Wratislavienſis violenter aperiendo Prætorium deſtituit antiquos Conſules & novos inſtituit, videlicet Nicolaum Lemberg, Petrum (e) Stronchen, (f) Dominick, Gabrielem Prewſe, Petrum Strelen, Nicol. Neukirch.

(e) Forte Storchen. (f) Melius Domnigk.

Iterum VVenceslaus deſtituit Conſules.

An. Dn. 1408. in die ſanctorum Criſpini & Criſpiani Wenceslaus Rex deſtituit antiquos Conſules & novos inſtituit videlicet Joannem Pezeler, Johannem Banck, Nicol. Ferckel, Nicol. Wernoth, & Joannem---(g) qui ſolum ad diem S. Barbaræ permanſerunt; nam eodem die in locum ipſorum ipſos reſtituit.

(g) Nomen proprium in MSto deeſt.

Interfectio Conſulum VVratislavienſium.

An. Dn. 1418. in die S. Arnolphi, quæ fuit Feria tertia poſt Dedicationem Eccleſiæ S. Eliſabeth, communitas civitatis Wratislavienſis magno cum impetu irruit ſuper Conſules, Prætorium violenter aperientes, ac ſex de Conſulatu videlicet Joannem Sachs, Henricum Schmidium, Nicol. Freiberg, Nicol. Feiſtling, Johannem Stiller, Nicol. Neumarck decapitantes, & ſeptimum, videlicet Joannem Megerlin, qui fuit de communibus, de turri præcipitantes.

Sigismundus Rex venit VVratislaviam.

An. Dn. 1420. in vigilia Ægidii circa ſecundam horam noctis Sigismundus Ungariæ Bohemiæque Rex venit Wratislaviam, qui in die Translationis S. Wenceslai, quæ fuit feria ſecunda poſt Reminiſcere, cæſionem, in Conſulibus anno decimo octavo factam, crudeliter vindicavit. Nam eodem die viginti tres ex Mechanicis decollari fecit, multosque de civitate expulit, & aliqui evaſerunt, quibus ipſorum bona recepta ſunt.

Primus Ingreſſus Huſſitarum in Sileſiam.

An. Dn. 1426. Huſſitæ peſſimi hæretici venientes de Bohemia feria ſexta ante Dominicam Cantate acquiſiverunt oppidum Lauben, interficientes multos tam ſæculares, quam ſcholares, recipientes multa ſpolia, exurentes oppidum receſſerunt. Item altera die exuſſerunt oppidum Goldperg, capientes ſpolia.

Secundus Ingreſſus Huſſitarum.

An. Dn. 1428. Huſſitæ venientes de finibus Ungariæ intraverunt Sileſiam in die S. Gregorii vaſtantes plures civitates, villas, caſtra, monaſteriaque, ſcilicet ſuperiorem Glogoviam Sabbatho poſt Gregorii, Caſimir, Falckenberg, facientes magnam ſtragem, & interficientes multos homines de communibus feria quinta poſt Lætare ante Miſſam, civitatem Ziegenhals, Weidenau, Patſchke, Sabbatho ante Judica, Cameneck, Heinrichaw, Franckenſtein, Bregam, Feria ſexta ante Palmarum, Canth, Neumarck, Hagenaw Sabbatho ante Jubilate, interficientes captivosque abducentes multos tam nobiles quam ignobiles, Clericos quam Laicos, comburentesque plures, multique nobilium tunc temporis (h) pacificaverunt cum eisdem hæreticis propter horrendos inſultus ipſorum.

(h) Idem antea Stenus noſter: Eos ut invictos ab agris ſuis etiam magni Principes avertere pacta pecunia ſatis habebant.

Huſſitæ peſſimi fuerunt ante VVratislaviam.

Eodem Anno in die Sanctorum Philippi & Jacobi Huſſitæ fuerunt ante Wratislaviam, frangentes Imagines novæ Capellæ, comburentesque Dotem S. Nicolai & plures domus, pernoctantes circa molendinam Knopfmühle usque ad quintam horam: Inde recedentes combuſſerunt multas villas circa Wratislaviam & Strelen, abducentes innumerabilia pecora & ſpolia.

VVratislavienſes obtinuerunt Olaviam.

An. 1429. in Feſto S. Anthonii Wratislavienſes obtinuerunt Olaviam, tempore noctis, interficientes ibidem multos Huſſitas, implentes fontes cum eisdem.

VVratislavienſes ante Nimptſch.

An. 1430. Wratislavienſes cum Suidnicenſibus jacuerunt ante Nimpſch cum magna potentia, ſed receſſerunt nihil proficiendo: Eodem anno ego Sigismundus Roſiz recepi ordinationem in Quadrageſima & cantavi meam primam Miſſam Dominica Miſericordias Domini in Eccleſia B. Mariæ virginis in Arena Vratislaviæ.

Proſtratio Huſſitarum per VVratislavienſes.

Eodem an. 1430. in die ſancti Egidii proſtrati ſunt Huſſitæ per Wratislavienſes prope Schweidniz, interficientes ul-

ultra LXXX. recipientes iisdem equos, & abducentes quadraginta quatuor.

Obtentio Mönſterberg.

Eodem anno in die nativitatis Mariæ Wratislavienſes cum Niſſenſibus obtinuerunt oppidum Monſterberg, frangentes caſtrum ibidem.

Detentio Nicolai Altzenau.

An. 1431. die XVI. menſis Aprilis, quæ fuit feria ſexta poſt Miſericordias Domini, fuit captus atque Vratislaviam ductus Nicolaus Altzenau, & ſtatim in quatuor aciebus civitatis proclamatus, quod caſtrum Eccleſiæ Vratislavienſis, (ſed an. 1435. id Epiſcopus cum Niſſenſibus recepit.) Ottmuchau Huſſitis tradidiſſet: Idem die decimo nono menſis ejusdem decollatus fuit coram Prætorio Vratislavienſi.

Detentio Conſulum Vratislavienſium in Strelen.

An. Dn. 1432. in die S. Trinitatis capti ſunt Michaël Banck, Eraſmus Pezeler, Laurentius Steinkeller, & Henricus Jenckwiz Conſules Vratislavienſes cum trecentis & dimidio C. equeſtribus in oppido Strelen per Huſſitas, qui eos hinc inde (i) captos perduxerunt, in Sileſiam poſthæc Transoderanam verſus Steinoviam, Olsnam, &c.

(i) Redibant ad ſuos an. 1434. Pezelero in Caſtro Homela interea defuncto.

Eodem anno in die S. S. Petri & Pauli Huſſitæ combuſſerunt Monaſterium Lubens, deinde oppida Winzig, Prausniz, Meliz. Item in die Viſitationis Virginis Mariæ exuſſerunt Monaſterium Trebniz, frangentes ibidem Imagines per S. Hedwigen comparatas, abducentes campanas & plumbum de tectis & ſpolia multa.

Fractio oppidi Nimtſch.

An. Dn. 1435. in die Innocentium Wratislavienſes exiverunt ad rumpendum & frangendum caſtrum Nimtſch, quod & totaliter ruperunt & deſtruxerunt.

La-

Ladislaus Rex venit Vratislaviam.

An. Dn. 1454. in die S. Nicolai quæ fuit feria ſexta hora 21. Sereniſſimus Princeps ac Dominus, Dominus Ladislaus Ungariæ Bohemiæque Rex intravit Vratislaviam Civitatem ſuam & honorifice fuit ſuſceptus à Domino Petro Epiſcopo Vratislavienſi & ſuo Clero prope S. holam Eccleſiæ B. Mariæ Virginis in Arena, ubi deſcendit de ſuo Equo, oſculaturque reverenter ſanctorum Reliquias, ivit pedeſter cum ſuis poſt Dominum Epiſcopum in Eccleſiam, geniculando coram ſummo Altari ſub TE DEUM laudamus.

Decimo ſexto die Menſis Decembris hora 14. Wratislavienſes præſtiterunt Homagium Ladislao Regi ſedenti in (k) Palatio, ad hoc ſingulariter in acie circuli prope forum ſalinum extructo, his verbis:

(k) Theatrum quoddam intellige.

Wir Bürgermeiſter und Rathmanne und die ganze Gemeine der Stadt Breslaw, geloben und ſchweren vor uns und unſere Nachkommen, daſs wir von dem heutigen Tage allezeit getreu und gehorſam ſeyn wollen, Euch Allerdurchleuchtigſtem Fürſten und Herren, Herren Ladislao gekröntem König zu Bœheimb, Unſerm gnädigen angenommenen Erb-Herren und Euren Leibes-Erben, Königen zu Bœheimb, weder alle Menſchen, und daſs wir Eurer Ehr und Reich nach unſerm Vermögen getreulichen ſchaffen und thun wollen, und Euren Schaden verhütten, und alle Ding, ſo an die Kron der Böhmen gehören, treulich halten und thun wollen, als getreue Unterthanen von Recht und alter Gewohnheit wegen ſchuldig und pflichtig ſeyn zu thun: ohn alles Gefährde und arge Liſt, Als uns Gott helffe und alle Heiligen.

Cruce ſignati iverunt contra Turcas.

An. Dn. 1456. in Vigilia Nativitatis Mariæ exiverunt Vratislavia Cruce ſignati contra Turcas circa MCCC. cum XI. Vexillis conducti ſolenniter cum Proceſſione Sacerdotum & Scholarum Eccleſiæ S. Eliſabeth.

Tractatus contra Jerſigk (Georgium Podiebradium electum Boh. Regem.)

An. Dn. 1458. Feria ſecunda poſt Miſericord. Domini fuit ſecundus Tractatus (primo in Leguiz feria ſecunda poſt Judica habito) in Vratislavia præſcriptorum Dominorum (Epiſcopi nempe, Ducum, Nobilium & Civitatum) contra Jerſigk.

Litera Domini Imperatoris.

Eodem anno in octava S. Laurentii venit littera Imperatoris (Fridrici nempe III.) qualiter Regalia Jerſikoni dediſſet & ipſum in Electorem Imperii aſſumſiſſet, hortando Vratislavienſes, quatenus etiam ſe ſuæ objicerent Obedientiæ.

Bohemi cum cæteris (Ducibus nempe qui in noſtros arma ſumſerant) Vratislaviam venerant.

Eodem anno (Pohlius in Hiſtor. Incendiorum p. 44. & ſeqq. an. 1459. citat) Feria ſecunda in die S. Remigii hora Prandii Bohemi hæretici cum exercitu Ducum Olsnicenſium & aliis ſuis complicibus fuerunt ante Vratislaviam usque in Elbing comburentes aliqua ædificia: Introibant quoque Monaſterium S. Vincentii: qui licet magnum exercitum habuerunt, tamen auxiliante DEO per Vratislavienſes in turpem fugam conjecti ſunt, cum eorum ſatis notabili Damno. Nam plures eorum interfecti ſunt & equi vulnerati, repertique fuerunt plures Clypei & Baliſtæ cum aliis defendiculis, & aliqui ex ipſis capti ſunt. Sequenti die Bohemi cum Suidnicenſibus & aliis ſe

ſe diviſerunt à Ducibus Olsnicenſibus, & reverſi ſunt, unus quisque in locum ſuum, ohne Pfeiffer, cum notabili Damno.

In Die S. Hedwigis Vratislavienſes obtinuerunt fortalitium Boraw, captivantes Joachimum de Parchwiz cum ſuis & plures fuerunt interfecti.

Nuncius venit de Praga.

An. 1460. In die S. Johannis Evangeliſtæ venit Nuntius de Praga, à Domino Legato apportans litteras in quibus continebatur Pax ad tres annos & unum Menſem Vratislavienſ. à Jerſigk data, ideo licentiati fuerunt omnes ſtipendiarii.

Fractio Cunzenſtädt.

An. Dn. 1461. in octava Epiphanias Domini exiverunt Vratislavienſes ad acquirendum fortalitium Cunzenſtädt cum Duce Albo: & in die S. Agnetis Johannes Felſch Caſtellanus ibidem dedit ſe qui fuit inſignis prædo & eodem die evacuavit idem fortalitium, abducendo Res ſuas, multaque ſpolia, & bona aliena inde rapta.

Pons inter Summum & Novam Civitatem.

An. Dn. 1462. die nona Januarii Vratislavienſes inceperunt Novum Pontem inter Summum & Novam Civitatem ædificare, quem ſequenti anno totaliter perfecerunt:

Papa pro Vratislavienſibus.

An. Dn. 1463. Dominus * Papa miſit plures bullas pro Vratislavienſibus contra Georgium adſerentem ſe Regem Bohemiæ.

* PIUS II. qui an. ſeq. obiit.

Jerſchko excommunicatus.

An. Dn. 1467. Dominica Miſericordias Domini Dominus Legatus (Rudolphus) volens ſermonem in Circulo (auf dem groſſen Ringe) facere, exivit de Eccleſia Elizabeth,

præcedentibus Dominis Prælatis & Canonicis Vratislavienſibus ſuperpelliciatus, excommunicando Jerſchkonem prætenſum Regem Bohemiæ, & omnes eidem adhærentes, inobedientes Romanæ Eccleſiæ.

Dominica Jubilate Oſtenſionis Reliquiarum apud S. Vincent. Dominus Cantor Eccleſ. Vratislavienſis publice denunciavit præſcriptos excommunicatos, Domino Legato ibidem præſente.

In die S. Sophiæ.

Facto Prandio Vratislavienſes exiverunt magna multitudine armatorum pedeſtrium, equeſtrium, & curruum ad obtinendum Monſterberg oppidum, & obtinuerunt in Die Pentecoſtes cum Caſtro.

Item: Feria ſecunda obtinuerunt oppidum Franckenſtein præter Caſtrum quod & poſt acquiſiverunt dimiſſo lubenter Capitaneo Nickruſchin cum ſuis ac rebus ipſorum, qui Capitaneus poſt paucos Dies interfectus fuit in Valva oppidi Schweidniz: Inde paucis diebus revolutis exercitus Jerſikonis obſidet oppidum Franckenſtein, & obtinuit in die S. Viti, multos captivantes, plures occidentes, multa ſpolia armorum, Pixidum, curruum recipientes & cum captivis abducentes, paucis de noſtris ſcandaloſe evaſis.

Rex Ungariæ electus fuit in Regem Bohemiæ.

An. Dn. 1469. in die S. Cruc. Inventæ Sereniſſimus Princeps & Dominus, Dominus Mathias Ungariæ Rex electus fuit in Regem Bohemiæ in Olmiz, ubi juravit ſub forma quæ ſequitur:

Jch

Jch Mathias Kœnig zu Ungarn &c. &c. jezund Kœnig zu Bœhmen gelobe und ſchwere, daſs ich alle Einwohner des Kœnigreichs in Bœhmen, Prælaten, Fürſten und Herren, Ritterſchafft, Städte und Gemeine behalten will, und ſoll bey ihren Ordnungen Rechten und Freyheiten und alten gutten Gewohnheiten, und ſie beſchüzen und wehren wieder iedermann nach allem Vermögen: Als mir GOtt helffe und deſſen heyliges Evangelium, daſs ich leiblich anrühre, Amen.

Introitus Regis in Vratislaviam.

Feria ſexta in Feſtiv. Pentecoſt Sereniſſimus Princeps & Dominus, Dominus Mathias, electus Rex Bohemiæ intravit Civitatem ſuam Vratislaviam hora 21. & fuit honorifice ſuſceptus à Clero, Conſulatu & Communitate Civitatis ante valvam Schwidnicenſem & à Domino Epiſcopo & Clero Summi in Pede Pontis prope S. Petrum ubi deſcendit de ſuo equo, oſculatus reverenter ſanctorum Reliquias. Poſtea intravit Curiam Imperialem: venerunt quoque cum Rege Archi-Epiſcopus Strigonienſis & multi Domini ſpirituales, ſæculares, nobiles ac alii.

Vratislavienſes præſtiterunt Regi Homagium.

Feria quinta poſt Trinitatis præſtiterunt Homagium Regi ſedenti in Palatio ad hoc ſpecialiter facto in Acie Circuli prope Forum ſalinum in Præſentia duorum legatorum ac Conſiliariorum Imperialis Majeſtatis in hæc verba:

Wir BürgerMeiſter und Rathmanne und die ganze Gemeine der Stadt Breslaw ſchweren und geloben vor uns und vor alle unſere Nachkommen, daſs wir

von dieſem heutigen Tage allezeit getreu und gehorſam wollen ſeyn Euch Allerdurchlauchtigſtem Fürſten und Herren, Herrn Mathiaſchen Kœnige zu Bœhmen, wieder alle Menſchen, und daſs wir Euer Ehr und Nuzen nach unſerm Vermögen allezeit getreulich ſchaffen und thuen wollen, und Euren Schaden und Arges behüten, und alle Ding, die zu der Kron Behem gehörig, getreulich halden und thun wöllen, als getreue Unterthanen als uns Gott helffe und alle heiligen, Amen.

Solennis Proceſſio.

In die Corporis Chriſti Dominus Epiſcopus cantavit ſummam Miſſam in Regis Præſentia, qua finita fuit ſolennis Proceſſio, de Summo usque ad medium Circuli, præſente Domino de Brandenbourg, & quinque Duces Sileſiæ, ſcilicet Saganenſis, Glogovienſis, Legnicenſis & Olsnicenſes portaverunt velum ſuper Sacramentum tempore pluviali.

Die Dominica ſequenti factus fuit Circulus circa Eccleſiam Domino Epiſcopo portante Sacramentum præſente Rege, ac poſtea Dominus Rex intravit Eccleſiam Epiſcopalem, ubi ſibi præſtitum fuit Homagium à Domino Epiſcopo & pluribus Ducibus Sleziæ.

Victorinus captus.

Dominus Rex captivavit Victorinum filium Jerſchkonis prope oppidum Radiſch, quem captum miſit in Ungariam.

V. CA-

V. CAROLI V. IMPERAT. AUGUSTI Privilegium

quod Inſignia Civitatis VRATISLAVIENSIS auxit.

WIr Carl der Fünffte von Gottes Genaden Römiſcher Käiſer zue allen Zeiten Merer des Reichs, Kunig in Germanien, zu Caſtilien, Arragon, Leon, bäider Sicilien, Hieruſalem, Hungarn, Dalmatien, Croatien, Navarra, Granaten, Toleten, Valencz, Gallitien, Majorica, Hiſpalis, Sardinien, Corduba, Corſica, Giennis, Algarbien, Algeciren, Gibraltar, der Canariſchen und Indianiſchen Inſuln, und der Terræ fermæ, des Oceaniſchen Meeres &c. Ercz-Herczog zu Oſterreich, Herzog zue Burgundi, zu Lotterig, zu Brabant, zu Steier, zue Kerten, zue Crain, zu Limburg, zue Luczemburg, zu Geldern, zu Galabrien, zu Athen, zu Neopatrien, und Wirtemburg &c. Grave zu Habspurg, zu Flandern, zu Tirol, zu Gorz, zu Barcinon, zu Arthois, und zu Burgundi &c. Pfalz-Grave zue Hennigaw, zu Hollandt, zu Seelandt, zu Pfierdt, zu Kieburg, zu Namur, zu Roſſilion, zu Territania, und zu Zutphen &c. Land-Grave in Elſaſs, Marg-Grave zu Burgaw, zu Oriſtan, zu Gotiani, und des heiligen Romiſchen Reiches Fürſt zu Schwaben, Cathalonia und Aſturia &c. Herr in Frieſslandt, der vvindiſchen March, Portenavv, Piſchcaja, zu Salines, zu

Mo-

Molin, zu Tripoli und Mecheln &c. Bekennen vor uns, unsere Nachkommen am Reiche, offentlich mit diesem Brieff und thun kundt allermenniglich: Als uns der Durchleuchtig Fürst, Her Ferdinandt Kunig zu Hungern und Behem &c. Ertz-Herczog zue Osterreich &c. unser freundlicher lieber Bruder angezeiget hat, vvie sich die Ehrsamen unser und des Reichs lieben getreuen Rathmanne und Gemeine der Stadt Breslavv in Schlesien, gegen seiner Lieb bisshero mit so getreulicher nüczlicher und allerundertheniger Dienstbarkeit, mit Darstreckung irer Leib Haab und Gütter gehalten und erzeiget, wie auch solches ire Vorforderen unseren Vorfarn am Reich Römischen Käisern und Konigen, desgleichen seiner Lieb Vorfarn den Kunigen zu Beham und Fürsten in Schlesien löblicher Gedächtnüsse gleicherweise in manchfeltige Wege gethan, darob sie dann von Iren umbliegenden Nachbarn, die uns und dem heiligen Reich nicht zugethan weren, gross und mercklich verderblich schaden uberzug und blutvergiessen empfangen hetten, Und dievveil sie nun gleich an einem Ort, da sich des heiligen Reiches Gebiet endet, und frembde Konigreich und Lande angiengen liegen, Derohalben sie sich vor andern unsern und seiner Liebden Unterthanen in steter vvarnung rüstung und beschirmung halten müsten, Darumb die Nottdurft vvol erfordert das gemeldte Stadt Breslavv, andere umbliegende Landschafften und Gebiet zu ihr brecht, damit sie sich und andere unsere

und

und seiner Lieb Unterthanen vor Gevvalt, dem heiligen Reich, der Cronen Beheim und Landen Schlesien zu gutt auffenthalten beschuzen schirmen und Iren Feinden Wiederstand thun möchten, Mit freundlicher vleisiger biet, dass vvir als Romischer Kaiser genannter Stadt Breslavv Alle und Iede Ir privilegien begnadung und freiheiten vvelche sie von unsern Vorfarn Romischen Kayfern und Konigen, auch den Konigen zu Behamb und Herczogen zu Schlesien ervvorben hetten genediglichen verneuen, Confirmiren und bestetten, darzu Inen diese besondre unsere Kaiserlich Freiheit und begnadung thun geben und verleihen vvolten, dass es umbliegende Landschafften und gebiette, durch Keuffe, Wechsel oder andere Ehrliche und Rechtmessige Fürnehmen und Wege mit allen Iren Alten Heerligkeiten Lehen und Lehnschafften, geistlichen und vveltlichen Herren, Rittern, Knechten, Stedten, Geschlössern, Mergten, Pflegern, Dörfern, Obern und NiederGerichten, Jurisdictionen, Gelaiten, Nuczung, angefellen, bussen und einkommen In ober und under der Erden nichts ausgenommen an sich bringen und die besizen, Innhaben, nuczen und nissen möchten &c. Demnach haben vvir angesehen solche unsers lieben Bruders freundlich und vleissig biet, und der von Breslavv vvolberümte getreue nuczliche dienste und ehrbar vvesen und Handlung, Und darumb mit vvolbedachtem muthe, guttem zeitigen gehabten

Rathe, rechter vviſſen, und aus Kaiſerlicher macht vollkommenheit bemeldter Stadt Breslavv Alle und Igliche Ire freiheiten Privilegien und begnadungen, die ſie von vveilandt unſern vorfarn am Reich Romiſchen Kaiſern und Konigen auch den Konigen zu Beheim und Herczogen in Schleſien vvol ervvorben und löblich herbracht haben In allen und Iden Iren Puncten, Worten, Clauſeln, Artickeln, Innhaltungen, Meynungen und begreiffungen genediglich verneuet, Confirmiret und beſtettiget, verneuern Confirmiren und beſtettigen Inen dieſelbigen auch himit von Romiſcher Kaiſerlicher macht vollkommenheiten, vviſſentlich und in Kraft diz briefes, Und meinen ſezen und vvollen, dasſie in allen und Iczlichen iren puncten Worten Clauſeln Artickeln Innhaltungen Meynungen und begreiffungen krefftig und mechtig ſein und ſich dieſelben Rathmanne und Gemeine Stadt zu Breslavv der genuczlich freuen, gebrauchen und genieſſen mögen, und von nimanden davvieder gedrungen noch beſchvvert vverden ſollen in keine Weiſe, Wo auch in denſelben Privilegien begnadungen und freiheiten allenſamentlichen oder In Ir einem beſondern irgent ein gebrechen oder Mangel vvere, So vvollen vvir doch dieſelben gebrechen oder Mangel aus obberürter unſer Kaiſerlichen Macht vollkommenheit himit auch erſtatt und erfüllet haben, Desgleichen thun geben und verleihen vvir auch den berurten Rathmannen und gemeiner Stadt Breſslaw vor andern Stedten in anſehung vor erzelter gutter urſachen und bewegungen noch hiemitte diſe unſere beſondere Kaiſerliche gnade und freiheiten, Alſo das der Iczige und ein Iglicher zukunfftiger Rath der Stadt Breslaw, umbliegende Landſchafften mit allen und Iden geiſtlichen und vveltlichen Leen, Lehenſchafften, Herren, Rittern, Knechten, Burgern, Scholteiſſen, Pauern, und Inwonern auch geſchlöſſem Stedten und merckten, dorffern, pflegen, obern und Nidergerichten angefellen, buſſen, geleiten, nuczungen, und einkommen, In ob und under der Erden, Zollen, dienſten und allen und Iden andern derſelben Landſchafften und guttern, alten Gewohnheiten und löblichen Herſchafften und freiheiten ſo ſie an ſich mit Kauffen, vvechſeln, vortregen und in andere Rechtmeſſige Wege bringen, zue Lehen haben tragen einnemen halten gebrauchen und genieſſen und von allen und Iden Prelaten Herren Rittern Knechten Burgern und Gemeinſchaft und ſonderlich Perſonen auf dem Land und in Stedten, Erbhuldigung und gewohnlich Eidt und Pflicht, daſs ie ſamentlich und ſonderlich der Stadt Breslaw getreue und gewere, auch allewege dem Rath als Vorſteern gemeines nuczens daſelbſt unterthenig ſein vvollen, aufnemen ſollen und mögen, Welches dan auf dieſes unſer Kaiſerlich Decret das vvir derhalben aus obberurter unſer Kaiſerlichen Macht volkommenheit, alſo ordnen und

seczen in Ewig Zeit von menniglich alſo gehalten vverden, Doch ſol ſolche Erbhuldigung und Vorpflichtung keinen geiſtlichen Prelaten noch vveltlichem Herren, Ritter oder Knecht an ſeinen Ehren, Freiheiten und guttem Herkommen nachteilig ſein Daſſie alſo dadurch bemelter Stadt Breslaw Mann belehnte und underthenig vverden, Sondern ſollen ſich nichts deſto minder ires vorigen ſtandes vveſens, und Freiheiten, als andere Rechtgebohrne, Edel Turniers und Rittermeſſige leut, die under uns, im heiligen Reich under dem Konigreich Boheim vvonen halten und gebrauchen, und Inen das von niemands vves Standes der ſey zu unehren vervveiſet vverden, Die vorgenannten von Breslavv ſollen auch alle und Iglich ir recht, gerechtigkeit und begnadungk, Ehr, vvürde und freiheiten mit annemung und oſter Verleihung der Landtmanne und Lehenſchafften, vvie daſs unſere Fürſten, Graven und Freien von Rechts oder Gevvohnheit vvegen zu haben pflegen, haben, und daran keinesvveges von niemandes geirret oder gehindert vverden, Und vvo auch einich gemein oder ſonderlich Recht Geſecz Statut oder Gevvohnheit indert in einem Artickel dieſer unſer Kaiſerligen begnadung entgegen und zuvvieder ausgeſezet vvere, So vvollen vvir das dieſelben, doch alleine nur vvieder dieſe Izbemelte unſer begnadung keine ſtadt kraft noch macht haben ſolle, den vvir derohalben die Izt als dann, und dan als Izt, genuzlich aufgehaben, derogiren und vernichten, Und damit ſich die merberührten Rathmanne und gemeinde der Stadt Breslavv neben diſen Iren Stenden und vvirden daran Wir ſie alſo von neuen erhabt und geſezt haben mit unſern Kaiſerlichen Gnaden noch mehr und fruchtbarer begnadet empfinden, So haben Wir Inen nach hierüber Ir alt und vorig Stadt Wappen ſo Inen zuvor berürter unſer freundlicher lieber Brueder Konig Ferdinand gebeſſert nachfolgender maſſen noch vveiter geendert, gezieret, gebeſſert, und alſo hinfortan zu füren vergönnet und erlaubet, Nemblichen den Schild quartirter vveiſe abgetheilet, in Mitte deſſelben ein Silberfarben Schüſſel, darinnen S. Johannis des Tauffers Haubt, und in dem untern hintern Roten S. Johannis des Evangeliſten Haubt am Halſs under ſich mit einer golden Cron verbrähmet, und in dem fordern untern goldfarben Theil ein ſchwarz W. vvelches bedeut den Nahmen Wratislai der die Stadt Breslaw erſtlichen gebauet und nach ſeinem Nahmen Wratislaw genennet hat, ferner in dem hintern Goldfarben Theil einen ſchwarzen Adler mit auffgethanen Flügeln, darinnen durch die Bruſt über ſich ein kleiner vveiſſer krummer Zirckelſtrich, vvie ein kleiner Monnſchein geformiret, und in dem obern fordern Theil ein vveiſſer Lewe mit auffgethanen Prancken, auffgeworffnem Schwanz, offnem Maul, und auff dem Haubt eine goldne Chron ſich bemeldter Lewe zum Kreuz gegen den Adler kherendt, und aufm Schild ein Turniers Helm auff die Seiten ſehend gezieret mit weiſſer und rother Helmdecken, entſpringend aus einer guldnen

Chron S. Johannis des Evangeliſten mit einer guldnen Diadema auff einem gelben Stengelein ein Panirlein überzwerch in vier theil gleich abgetheilet, das unter und dritte vveiſs, und das ander und vierdte aber rote, die ſpize voneinander kherend, alsdann dieſelben Wappen und Kleinot im mitten dieſes gegenwertigen unſers Käyſerlichen Briefes gemahlet, und mit farben eigentlicher ausgeſtrichen ſein, Verendern, beſſern, zieren, gönnen und verleihen Inen auch ſolches alſo von Römiſcher Käyſerl. Macht vollkommenheit in Krafft dis briefes, und meinen ſezen und vvollen das gemelte Rathmanne und gemeine Stadt Breslaw nun hinfürder zu ewigen Zeiten izt beſchrieben Wappen und Kleinot haben, füren, und das in allen ehrlichen und redlichen Sachen und geſchäfften zu ſchimpf und zu Ernſt, in kriegen, ſtreiten und ſtürmen, in ihren panieren und gezelten, desgleichen in ihren Innſiegeln und Secreten mit dieſer überſchrifft: SENATUS POPULUSQUE VRATISLAVIENSIS. Und dann auff Ire guldene und ſilberne Münze des Hungeriſchen und Rheiniſchen Geſchrots und Korns gleichervveiſe mit dieſer überſchrifft vvann es Inen geliebet, gebrauchen und auffſchlagen mögen, daſſelbe Ir Innſiegel ſo ſie nun allſo machen und hahen vverden, ſoll auch von allermenniglichen avthenticum und glaubwürdig geacht, gehalten, und allen Briefen und Inſtrumenten ſo darunter verfertiget und auſsgeben vollkommen ſtadt und glauben gegeben vverden, doch ſollen auch nicht deſtowe-

niger alle Inſtrument und Briefe, vvelche under Irem vorigen alten Innſiegel und Secret auſsgegangen allenthalben bey Iren Kräfften und Würden bleiben, und davon niemands gefähret ſein von allermenniglichen unverhindert, Und gebieten darauf allen und ieglichen Churfürſten, Fürſten, geiſtlichen und vveltlichen Prælaten, Grafen, Freyherren, Herrn, Rittern, Knechten, Hauptleuten, Land-Vogten, Vizthumben, Voigten, Pflegern, Vorweſern, Amptleuten, Schultheiſſen, Bürgermeiſtern, Richtern, Räten, Kündigern der Wappen, Ehrenholten, Perſonannten, Bürgern, Gemeinden, und ſonſt allen andern unſern und des Heil. Reichs Unterthanen und getreuen, in vvas vvürden, Stands oder vveſens die ſein, ernſtlich und veſtiglich mit dieſem Briefe, daſs ſie die berürten Ratsmanne und gemeine Stadt Breslaw bey dieſen allen obbegrieffnen unſern Käyſerlichen Begnadigungen, Verendrung und beſſerung ihres Wappens gänzlichen vorbleiben, ſie des alles geruhiglich gebrauchen und genieſſen laſſen, und darwieder nicht thun, noch das iemands zu thun geſtatten in keine vveiſ noch vvege alſs lieb einem ieglichem ſey unſere und des Reichs ſchwere Ungenad und ſträffe, und dazu eine pœna nemlich hundert Marck lötiges Goldes zu vermeiden, die ein ieder ſo offt er freventlich darwieder thäte, Uns halb in unſere und des Reichs Cammer, und den andern halben Theil den offtbemeldten von Breslaw unableslich zu bezahlen verfallen ſeyn ſoll: Daſs meinen vvir ernſtlich, Mit urkundt die-

dieſes Briefes, beſiegelt mit unſerm Kayſerlichen annhangenden Innſiegel. Gegeben in Vnſer und des Reichs Stadt Augſpurg am 1ten Tage des Monaths Julij, Nach Chriſti unſers lieben Herrn Geburt im funffzehnhundert und dreiſſigſten, unſers Kayſerthumbs im zehnden, und unſrer Reiche im funffzehnden Jare.

CAROLUS.



*

Errata & Omiſſa

quæ ut A. L. corrigere & addere velit rogamus.

PAg. 5. lin. 16. pro Romanorum, fac Romanarum. p. 12. lin. 23. pro Tragil. Amkiel, fac Trogil. Amkiel. p. 14. lin. 7. pro manentia, lege manantia. lin. 19. eadem pag. pro MANUBUS fac MANUBIIS. lin. 17. dele. (e) lin. 18. ante verbum ita adde (e). pag. 16. lin. 4. pro Lygius, fac Lygiis. pag. 17. lin. 12. pro adexit, fac adegit. lin. 22. pro Sibethoni, fac Sibothoni. pag. 25. lin. 13. pro quam, lege quem. pag. 26. lin. 4 pro Tranſylvaniæ, lege Tranſylvania. lin. 24. pro coëpiſſe, fac coëgiſſe. pag. 27. lin. 1. pro Granicam, lege Granuam. pag. 40. lin. 29. pro Criſtas, fac Criſtas. pag. 44. lin. 28. pro Blegiſmus, lege Belgiſmus. pag. 52. lin. 23. pro Neapolitenæ, fac Neapolitanæ. pag. 57. lin. 8. pro &, fac à. pag. 59. lin. 20. pro Worcozlava, fac Worcizlava. pag. 61. lin. 7. pro Worezlava, fac WORCIZLAVA. pag. 65. lin. 19. pro Stazelingen, lege Stuzelingen. pag. 67. lin. 9. pro TAROSLAUS fac JAROSLAUS. pag. 69. lin. 16. pro ſolutio, fac ſolatio. pag. 71. lin. 17. poſt verbum prælio: hæc omiſſa ſunt: Boleslaus Marchio Meraniæ &. pag. 75. lin. 15. in pr. pro Wenceslaus, lege Premislaus III. lin. 18. pro Ab, lege At. pag. 81. lin. ult. pro filio, lege filo. pag. 83. lin. 9. pro Meyerlinum, fac Megerlinum. pag. 85. lin. 17. pro 1442. fac 1444. pag. 86. lin. 18. poſt verba: Lauſiz &c. hæc omiſſa ſunt: Addam Documentum non ubivis obvium, quo eum haud veneno (uti tamen plures ab Initio affirmabant) interiiſſe conſtat, ex authentico Bohemico in latinam linguam verſum, quod ita ſe habet:

Wladislaus Dei gra Boëmie Rex Marchio Moravie Lucemburg. & Slesie Dux ac Lusacie Marchio ꝛc. Notum facimus omnibus tenore præsentium quod cum vagi sermones hactenus fuerint qui Illustrisimum Principem ac Dnum. Ladislaum Hungarie ac Bohemie Regem cariſſimum noſtrum conſanguineum Veneno ſublatum fuiſſe tradunt nos habita prius inquiſitione ſedula ut de re ipſa certiores fieremus etiam in præſentia procerum noſtrorum & nobilium Tumulum ipſius aperiri fecimus, & in eo Corpus prædicti Regis cariſſimi noſtri conſanguinei plane incorruptum invenimus nec ullum ſignum ex quo ullum Veneno interiiſſe colligere licuit: Ut itaque hæc quæ atteſtando ſcribimus ad notitiam univerſorum deveniant præſentes dedimus litteras Regii noſtri ſigilli appenſione roboratas: Pragæ die Veneris qui S. Valentino ſacer: Anno Dmni. 1472. Regnique noſtri primo.

pag. 87. lin. 12. pro coronatæ, lege coronato. pag. 88. lin. 25. pro Neapolitani Notha, lege Nothi Regis Neapolitani. pag. 94. lin. 9. pro 1491. fac 1498. pag. 97. lin. 5. pro Lignitiam, lege Lignitium. lin. 14. pro Wangen, lege Wangern. p. 111. lin. 7. pro Berckenſchloërus, lege Beckenſchloërus. p. 114. lin. 21. pro poſteritati, lege poſteritatis. pag. 115. lin. 4. pro aquilam, fac Gryphi pedem enſe armatum. lin. 5. pro Gryphi pedem enſe armatum, fac eundem. lin. eadem poſt verbum vero adde: & flava. lin. 35. poſt verbum inciſa, adde: teſtantur. p. 118. lin. 4. pro Peteanis, lege Puteanis. p. 119. l. 15. pro Monaſt. lege Monach. p. 123. dele. ante Verbum obiit. pag. 126. lin. 17. pro audiendum, fac audiendam. pag. 128. lin. 5. pro qua, lege quam. pag. 133. lin. 16. pro IMPEPERATOR, lege IMPERATOR. pag. 151. lin. 15. pro inutilam, fac inutilem.

lem. lin. 27. pro teſtis, fac tectis. pag. 149. lin. 28. pro Senacula, lege Senaculaque. pag. 156. lin. 8. pro omnes, lege omnis. pag. 157. lin. 13. pro opplereri, fac oppleri. lin. 20. pro contigit, lege contingit. pag. 158. lin. 15. pro magalia, fac mapalia. pag. 159. in notis † pro der Thurm, fac der Thumb. lin. 17. pro niminum, fac nimium. pag. 164. in notis lin. penult. pro virgilia, fac vigilia. pag. 165. lin. 5. pro duos, fac duas. pag. 178. lin. 5. pro infeſſum, fac inſeſſum. lin. 8. pro ſtagantibus, fac ſtagnantibus. pag. 179. lin. 5. pro quia, fac qui. pag. 188. lin. 14. pro Racum, lege Ramum. lin. 15. pro Xomelum, fac Homelum. pag. 193. lin. penult. pro diſterminant, lege diſterminat. pag. 194. lin. 4. pro Fine, lege Fines. pag. 197. lin. 22. pro alter fac ater. pag. 198. lin. 14. pro hunc, fac hanc. pag. 200. lin. antepen. in notis: pro hoc, fac huic. pag. 203. lin. 19. pro patria, fac patrias. pag. 215. lin. 23. pro Stronchen, lege Storchen: lin. 25. litt. e. pro Storchen, lege Stromchen. pag. 218. lin. 7. poſt verbum Alzenau adde: (ſive Dni. de Czedliz in Alzenau, quod nomen eſt pagi Ducatus Lignicenſis.) pag. 227. lin. 17. pro Pflegern, fac Pflecken. pag. 232. lin. 23. pro hahen, fac haben.

*

Errata & Omiſſa
quæ ut A. L. corrigere & addere velit rogamus.

Pag. 5. lin. 16. pro Romanorum, fac Romanarum. pag. 12. lin. 23. pro Tragil. Amkiel, Trogil Arnkiel p. 14. lin. 7. pro manentia, lege manantia, lin. 15. pro MANUBUS, fac MANUBIEIS. lin. 17. dele (e) lin. 18. ante verbum: ita: adde (e) pag. 16. lin. 4. pro Lygius, fac Lygii, pag. 17. lin. 12. pro adexit, fac adegit. lin. 22. pro Sibotheni, fac Sibothoni. pag. 23. lin. 13. pro quam, lege quem. pag. 26. lin. 4. pro Tranſylvaniæ, lege Tranſylvania. lin. 24. pro cœpiſſe, fac coëgiſſe, pag. 27. lin. 1. pro Granicam, lege Granuam. pag. 40. lin. 29. pro Chriſtas, fac Ctiſtas. p. 44. lin. 28. pro Blegiſinus, fac Belgiſinus. pag. 52. lin. 23. pro Neapolitenæ, fac Neapolitanæ. pag. 57. lin. 8. pro &, fac à pag. 59. lin. 20. pro Wrocozlava, fac Vorcislava. pag. 61. lin. 7. pro Worezlava, fac WORCIZLAVA. pag. 65. lin. 19. pro Stazelingen, lege Stuzelingen. pag. 67. lin. 9. pro TAROSLAUS, fac JAROSLAUS pag. 69. lin. 16. pro Solutio, fac Solatio. pag. 75. lin. 15. in pr. pro Wenceslaus, lege Premislaus III. lin. 18. pro Ab, lege Ar. pag. 81. lin. ult. pro filio, lege filo. pag. 83. lin. 9. pro Meyerlinum, lege Megerlinum. pag. 85. lin. 17. pro 1442., fac. 1444. pag. 86. lin. 18. poſt verba: Lauſiz. &c. hæc adſcribas: Addam documentum non ubivis obvium, quo Eum haud veneno (uti tamen plures ab Initio affirmabant) interiiſſe conſtat, ex avthentico Bohemico in latinam linguam verſum, quod ita ſe habet:

Wladislaus Dei gra Boëmie Rex Marchio Moravie Lucemburgenſ. & Slesie Dux ac Lusacie Marchio ꝛc. Notum façimus omnibus tenore præſentium quod cum vagi hactenus ſermones fuerint, qui Illuſtriſſimum Principem & Dnum Ladislaum Hungarie ac Boëmie Regem cariſſimum noſtrum conſanguineum Veneno ſublatum fuiſſe tradunt nos habita prius inquiſitione ſedula ut de re ipſa certiores fieremus etiam in præſentia procerum noſtrorum & nobilium Tumulum ipſius aperiri fecimus & in eo Corpus prædicti Regis cariſſimi noſtri conſanguinei plane incorruptum invenimus nec ullum ſignum ex quo illum Veneno interiiſſe colligere licuit: Ut itaque hæc quæ atteſtando ſcribimus ad univerſorum notitiam deveniant præſentes dedimus litteras Regii noſtri ſigilli appenſione roboratas. Pragæ die Veneris qui S. Valentino ſacer Anno Dmni 1472, Regnique noſtri primo.

Pag.

Pag. 87. lin. 12. pro coronatæ, lege coronato. pag. 88. lin. 25. pro Neapolitani Notha, lege Nothi Neapolitani. pag. 94. lin. 9. pro 1491. fac 1498. pag. 97. lin. 5. pro Lignitiam, fac. Lignitium. pag. 111. lin. 7. pro Bibliothecam, fac Bibliotheca. p. 113. lin. 6. pro Berckenſchloërus, fac Beckenſchloërus. pag. 115. lin. 5. poſt verbum vero: adde: & flava. lin. 35. poſt verbum inciſa: adde: teſtantur. pag. 114. lin. 21. pro Poſteritati, fac Poſteritatis. pag. 118. lin. 4. pro Peteanis, lege Puteanis. pag. 126. lin. 17. pro audiendum, fac audiendam. pag. 128. lin. 5. pro qua, fac quam. pag. 151. lin. 27. pro teſtis, fac tectis. pag. 149. lin. 28. Senacula, lege Senaculaque. pag. 156. lin. 8. pro omnes, fac omnis. pag. 157. lin. 13. pro opplereri, fac oppleri. lin. 20. pro contigit, fac contingit. pag. 158. lin. 15. pro magalia, fac mapalia. pag. 159. in notis † pro der Thurm, fac der Thum. lin. 17. pro niminum, fac nimium. pag. 165. lin. 5. pro duos, fac duas. pag. 178. lin. 5. pro infeſſum, fac inſeſſum. lin. 8. pro ſtagantibus, fac ſtagnantibus. pag. 188. lin. 14. pro Racum, lege Ramum. lin. 15. pro Xomelum, fac Homelum. pag. 179. lin. 5. pro quia, fac qui. pag. 193. lin. penult. pro diſterminant, fac diſterminat. pag. 194. lin. 4. pro Fine, fac Fines. pag. 197. lin. 22. pro alter, fac ater. pag. 198. lin. 14. pro hunc, fac hanc. pag. 200. lin. antepenult. in notis pro hoc, fac huic. pag. 203. lin. 19. pro patria, fac patrias. pag. 215. lin. 23. pro Stronchen, fac Storchen. lin. 25. litt. (e) pro Storchen, fac Stromchen. pag. 227. lin. 17. pro Pflegern, fac Pflecken.

*

Pag. 26. lin. 27. pro ſolio, fac ſolo. pag. 71. lin. 17. poſt verbum prœlio: adde: Boleslaus Marchio Meraniæ &. pag. 56. lin. 27. poſt. verbum Duce: adde: ſive de an. 1038. pag. 63. lin. 30. pro eum, fac non. pag. 79. lin. 22. pro MCCCXXXIX. fac MCCCXXXV. pag. 81. lin. 11. poſt (d) dele vocem: Verba, lin. ult. pro 1529. fac 1527. pag. 86. lin. 5. pro decennium, fac triennium. pag. 87. lin. 28. poſt verbum ſequ. adde: 1471. pag. 93. lin. 29. pro clɔ Iɔ xxx. fac clɔ Iɔ xxvii. pag. 121. lin. 15. pro patriæ, fac. Vratisl. pag. 132. lin. 23. dele vocem: Veneno. pag. 182. in not. * in fine, pro habet, fac obiit, p. 157. confudit ſigna †. ††. †††. Typographus: primum ergo lin: 1, alterum lin: 7. tertium lin: 8. adſcribas: & illud lin: 12. delendum.

*

U 2 3

Mit 1 Kst. Karte
u. 1 Kst. v. Breslau

